



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera**

**Agobardus <Lugdunensis>**


**Parisiis, 1666**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14678**







№. 294.











SANCTI  
AGOBARDI  
ARCHIEPISCOPI  
LVGDVNENSIS  
OPERA.

*ITEM*  
*Ex Legat. C. m. Principis Ferdin. Epi Paderb. et Monaster.*  
EPISTOLÆ ET OPVSCVLA *Ano 1683.*

LEIDRADI ET AMVLONIS  
Archiepiscoporum Lugdunensium.

STEPHANVS BALVZIVS  
*Tutelenfis in unum collegit, emendavit,*

*Notisque illustravit.*  
*Collegij Socii IESU Paderb.*



PARISIIS.

Apud FRANCISCVM MUGVET Regis ac Illustriss. Archiep.  
Parif. Typogr. via Citharæ, ad Adorationem trium Regum.

M. DC. LXVI.

S A M C T I

A G O B A R D I

A R C H I E P I S C O P I

L V G D V N E N S I S

O P E R A

*Handwritten note:* In scriptura...  
E P I S T O L A E T O P U S C U L A

E I D R A D I E T A M V L O N I E

Archiepiscopi Lugdunensis

S T E P H A N N I S D A L M A T I N I S

Stephani in vna collecta concidit

*Handwritten note:* Copia...  
C O P I A



P A R I S I I S

Apud Franciscum...  
P A R I S I I S

M. D. C. L. X. V. I.



SANCTISSIMIS  
PATRIBVS  
OMNIQVE CLERO  
ECCLESIAE  
GALLICANAE.

**E**diturus in publicum opera Ago-  
bardi Archiepiscopi Lugdunen-  
sis, à me emendata, Notisque  
illustrata, non alijs auspicijs id fieri à me  
debere arbitratus sum quàm vestris, PA-  
TRES, qui Gallicanam Ecclesiam, cujus  
clarissimum lumen ævo suo fuit Agobardus,  
vestris nunc virtutibus illustratis, etiam  
usque ad vicinarum gentium invidiam.  
Obsequio præterea illo erga vos defungi me  
à ÿ

## E P I S T O L A.

postulare videtur etiam seculi nostri felicitas: quandoquidem id efficitis, eorum studia fovendo qui literas amant, ut non desit hodiernis ingenis temporum favor, qui (ut ad Porphyrium scribebat olim Constantinus Magnus) non secus doctrinæ deditas mentes rigare atque alere consuevit, quàm si clivosi tramitis supercilio rivus elicitus scaturientibus venis arva arentia temperaverit. Denique præsidentibus vobis in Ecclesia Dei, quod de seculo suo gloriabatur idem Constantinus, scribentes dicentisque haud aliter benignus auditus quàm lenis aura prosequitur. Testatum id nuper voluistis, PATRES, in viris clarissimis, qui libros à se editos vobis obtulerunt, quos verò vos et dignis laudibus et mercede operum amplissima prosecuti estis. Et illos quidem sua ipsorum ingenia suaque facinora attollebant. At mihi magna commendatio accedit, non ex propriis virtutibus, aut ex meritis erga coronam vestram meis, sed ex his quos vobis offero libris, et ex nomine magni viri omniumque seculorum memoria digni PETRIDE

EPISTOLA.

MARCA Archiepiscopi Parisiensis, tum etiam ex inclinatione vestrum omnium in personam meam. Sanè non venio ad vos incognitus, neque perrumpo vobis invitis; sed ad vos redeo ex veteri contubernio clarissimi collegæ vestri; quo vivente, meum nomen aliqua in gratia apud vos fuisse & ego mihi met persuasi, neque vos, opinor, negabitis. Non puto autem, PATRES, ademptam mihi morte illius benevolentiam vestram, aut interisse apud vos memoriam ingentium hominis virtutum ac meritorum ejus in Ecclesiam Gallicanam, cujus jurium ac libertatis propugnator fuit & studiosissimus & fortissimus. Quòd si istarum rerum apud vos memoria superest, ut certè superest, dubitare non possum de constanti ac perpetua vestrum omnium ac uniuscujusque vestrum erga me propensione. Nam cum ille mihi hunc, quo me flagrare videtis, ardorem pro Gallicana Ecclesiæ libertate tuenda & inspiraverit vivens, & moriens tradiderit velut supremæ voluntatis tabulis, dum lucubrationum suarum editionem mihi com-

## EPISTOLA.

*mendavit, putate, PATRES, successisse me vicarium his eruditissimi viri studiis, longo quamvis intervallo, & ob hoc ipsum mereri ut nihil perire sinatis ex benevolentia erga me vestra. Quod eò lubentius præstabitis, postquam intellexeritis impositam mihi ex hoc illius imperio necessitatem omnia studia mea omnesque conatus meos ad vos, id est, ad Ecclesiam Gallicanam, convertendi. Ea etenim de causa factum est ut statim ferme post abitionem ejus in publicum exire summa fide summâque diligentia fecerim magnum illud & memorabile illius opus De Concordia Sacerdotij & Imperij, seu de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ab unoquoque vestrum summo postea favore exceptum, & publica omnium ordinum Gallie gratulatione ita commendatum, ut vix quisquam sit eorum qui hæc studia amant, qui librum illum seriò non legerit, & porrò non legat hæctenus diligenter. Quanquam non intra Galliam substitit hic ardor. Perripit etiam claustra Oceani, ac maris Mediterranei, montesque ac flumina supera-*

## EPISTOLA.

vit. Nam præter Italos, Hispanos, Anglos, Belgas, Batavos, Germanos, qui vicini nobis sunt, quique librum illum ad se mitti è Gallia postularunt, delatus est etiam usque ad ultimos ferè Pannoniarum fines. Quæ sanè commendatio, PATRES, tanta est, tantùmque gloriæ hinc redundat in universum Gallicanæ Ecclesiæ corpus, ut vel hoc unico facinore assecutum me putem etiam eorum favorem ac gratiam quibus antea notus non eram, existimemque præterea approbasse me studium & ardorem meum unicuique vestrum, universæque Ecclesiæ Gallicanæ. quæ est votorum meorum summa. Et hanc quidem editionem feci juxta imperium. Quæ sequuntur, mea sunt, ac meo Marte patrata, non adeo sanè illustria ut editio libri De Concordia, sed tamen omnia studio erga Ecclesiam Gallicanam. Ergo, non ita multò post, editionis honore donavi duo clarissima veteris Gallicanæ Ecclesiæ lumina, Salvianum videlicet Presbyterum Massiliensem, & Vincentium Lirinensem, quos & multò meliores quàm

## E P I S T O L A :

antea erant & emendatiores dedisse me pu-  
 to. Salviano & Vincentio successit sequen-  
 ti tum anno fulgentissimum ejusdem Ecclē-  
 siæ sidus, Lupus Abbas Ferrariensis; quem  
 sic emendatum, ornatum, illustratumque  
 emisi, ut non arbitrer pœnitendum mihi esse  
 operæ in illo conlocatæ. Hoc demum anno,  
 quum de edendo Agobardo cogitarem, viro  
 & sanctissimo & doctissimo, eodēque  
 tempore vos regia jussio congregasset in hac  
 civitate Parisiensi, haud spernendam oc-  
 casionem ratus, Archiepiscopum illum Lug-  
 dunensem vobis offerendum esse putavi; ut  
 qui totus sum in edendis in meliorem lucem  
 veteribus Gallicanæ Ecclesiæ Patribus,  
 meam operam probari procurem ab eadem  
 Ecclesia, id est, à vobis, PATRES, qui  
 eam divino nutu regitis ac gubernatis, & à  
 ceteris sanctissimi ordinis viris, qui unà vo-  
 biscum huic sacro intersunt conventui: de  
 quorum nobilitate, pietate, doctrina, eru-  
 ditione, ac reliquis virtutibus si quid heic  
 dicere tentavero, vereor ne infra dignita-  
 tem materiæ meæ subsistat oratio; & mode-

## EPISTOLA.

stia eorum præterea tribuendum puto, ne suas laudes sibi coram ingeri perferre cogantur. Accipite igitur utrique novam hanc editionem Agobardicarum lucubrationum; vestraque approbatione vestram ita facite, ut vestro jussu facta fuisse videatur. Ita fiet ut ceterorum Patrum Gallicanorum novas editiones, quas paro, lubentiore animo aggrediar, si intellexero curam meam vobis placere, studiumque in hoc meum approbari. Hæc sunt, PATRES, quæ apud vos habui dicenda. Reliquum est ut me precibus vestris juvetis apud Deum, totius boni auctorem, & ut me benevolentia amoræque vestro pergatis honestare. Opto autem vos, PATRES, semper in Domino bene valere.

Lutetiæ Parisiorum xv. Kal.

Februarij, M. DC. LXVI.

STEPH. BALVZIVS.

APPROBATIO DOCTORVM.

**N**OS infrà scripti Sacræ Facultatis Theologiae Parisiensis è Domo & Societate Sorbonica Doctores, legimus sancti Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis Opera, item Epistolas & Opuscula Leidradi & Amulonis Archiepiscoporum Lugdunensium, Librum Flori de Electionibus Episcoporum, cum Notis Stephani Baluzij Tutelensis, in quibus testamur nihil nos animadvertisse quod sit Ecclesiæ Catholicæ fidei, moribus, aut disciplinæ contrarium, quin imò dignas iudicavimus quæ in publicum prodirent. Datum in Sorbona die 15. mensis Ianuarij, anno Domini 1666.

COCQUELIN.

N. PETITPIED.

BOILEAU.

---

**C**antum est auctoritate viri spectabilis Prætoris Parisiensis, ne quis Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis opera Stephani Baluzij Notas edat, præter Franciscum Muguetum Typographum Regium. Datum Parisiis die 14. mensis Augusti, anno Domini M. D. C. LXV.

Sic signatum,

D'AVBRAY.



# STEPHANI BALVZII

## TVTELENSIS

### *PRÆFATIO AD LECTOREM.*

**P**ROXIMO anno, quum Lupi Abbatis Ferrariensis opera ederentur, conquestus sum aliquantulum de indiligentia incuriæque Papirij Massoni in edendis veterum scriptorum lucubrationibus. Nunc verò in principio hujus præfationis lubet deplorare meam sortem, quòd iterum de viro clarissimo conqueri cogor, & id quidem acrius ac vehementius quàm factum est in Præfatione ad Lupum. Nam si quis unquam scriptor habitus est indiligenter, id profectò contigit Agobardo; cum certum sit nullam ferme lineam esse in editione Massoni, qui primus illum edidit, quæ non aliquid diversum habeat à veteri codice quo Massonus utebatur; adeo ut Lupus, alioqui conspurcatissimus, emendatissimus fuisse videatur in comparatione Agobardi. Itaque cum magna viri fama sit, plurimùmque se illi debere quotidie profiteantur homines eruditi; plenum a lææ opus ac planè periculosum mihi suscepisse videor, qui negligentiam ejus incuriàmque prodere destinaverim. Sed tamen illa spes me solatur, quòd tu ac tui similes, Lector erudite, dabitis lubenter veniam huic meæ audaciæ, huncque laborem meum æqui bonique consuletis, cum intellexeritis necessariam prorsus fuisse hanc curam meam. id quod facile

P R Æ F A T I O.

tibi persuadebis , Lector , postquam ex collatione hujus nostræ editionis cum Massoniana agnoveris quàm deformatus antea decoloratusque fuerit Agobardus , innumerisque propemodum locis videris emendatum.

Damus igitur tibi novam Agobardi editionem, emendatam ad fidem codicis quo Massonus est usus, quem nobis ex Bibliotheca Regia subministravit Vir Illustrissimus Nicolaus Colbertus Episcopus Lutionensis. Ac ne quis dubitet quin is sit siremps Massoni liber , hæc in fronte codicis scripta sunt manu Illustr. V. Jac. Augusti Thuani, EX LIBRIS PAPIRII MASSONI. Tum manu Ioannis Baptistæ Massoni, qui librum illum Bibliothecæ Regiæ dono dedit , ista totidem literis adjecta sunt. *Hæc Agobardi opera MS. à Papirio Massono in lucem edita, ad majorem illius editionis fidem Bibliotheca Regia dono dedit ego Ioa. Bap. Massonus, Regis Elemosinarius, Papirij frater, XVI. Iulij, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo octavo. LE MASSON.* Quod ideo visum est adnotare, ut omnibus constet hanc nostram editionem esse procuratam ad fidem ejusdemmet codicis quo Massonus utebatur. Magnam porrò gratiam debemus omnes Massono, ob servatum Agobardum. Nam cum is, ut ipse scribit in epistola ad Ecclesiam Lugdunensem, Lugduni in vico Mercium libros quæreret, & apud compactorem librorum versaretur ejus rei causa, compactorque ille Agobardi codicem in membranis perscriptum veteribus notis dilaniare paratus esset, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, vitam illi redemit Massonus; numerato videlicet pretio libri.

Præterea admonendus es, Lector, non adeo scrupulosum fuisse me in hac editione, ut non interdum auctorem hunc nostrum emendaverim ex ingenio, ubi

## P R Æ F A T I O.

Occasio tulit; id est, ubi turbata videbatur Agobardi sententia in veteri codice, emendatioque facilis & obvia erat. Quos errores cum librarij esse viderem, non verò Agobardi, optimum factu putavi si tollerem, nec puto quemquam, cui mens sana sit, ægrè laturum. Quanquam si emendatio quæpiam sic tentata videretur alicujus momenti, non dissimulavi emendationem esse meam, ne quem heic deciperet vetusti codicis auctoritas. Præcipuè verò hanc regulam constanter ac summa fide servavi in libris editis in causa discidij inter Ludovicum Pium Imperatorem filiosque ejus, quos libros emendavi ad fidem codicis manuscripti; aut si quid ex recepta lectione mutavi proprio Marte, non tacui inter Notas. Res enim videbatur esse magni momenti.

Exhibet autem hæc editio, præter vulgatas jam olim Agobardi lucubrationes, librum ejus adversus quatuor libros Amalarij de divinis officiis, hæctenus ineditum: qui quonam modo ad me pervenerit, paucis expediam. Fortè vir clarissimus Antonius Vion Herovallius, ut est prono erga hæc studia animo, mecum communicavit schedam quandam, in qua continebatur elenchus nonnullarum lucubrationum quorundam veterum scriptorum, quæ nondum editæ fuerant, & extare dicebantur penes clarissimum virum Petrum Franciscum Chiffletium Presbyterum è Societate Iesu, qui nunc Divione commoratur. Et erat scriptus elenchus manu Chiffletij. Tum ego plurimum confidens de humanitate viri, epistolam ad eum scripsi, eumque rogavi ut exemplum Agobardicæ illius lucubrationis ad me mitteret, ut cum ceteris clarissimi scriptoris operibus edi posset. Fecit lubens, ac statim misit; ut ex utriusque nostrum literis cognoscere poteris, Lector, quæ post hanc præfationem editæ sunt. Interim ea de re scripsi ad clarissi-

P R Æ F A T I O.

num virum, quo ego amico gloriabar, Franciscum Solleiselum Clapierium Patricium Lugdunensem, qui nuper è vita excessit apud Lugdunum. Is ergo quum intellexisset veterem codicem, unde Chiffletius hunc librum descripserat, extare in Bibliotheca Petri Marnæsij Senatoris Gratianopolitani Canoniceque Viennensis, viri clarissimi ac nobilissimi, ac divini humanique juris, ut scribebat Clapierius, calientissimi, eum ad se deferri curavit Lugdunum, & hinc Lutetiam ad me statim pro sua erga me amicitia transmisit, ut mox dicam.

Enimvero putabam hanc editionem posse incipi statim post Pascha, ac perfici demum mense Junio. Sed spes habendi codicis Marnæsiani, quam certam faciebat Clapierius, moram huic negotio attulit. Accessit huic incommodo malum multo gravius, ingens oculorum morbus, adeoque gravis, ut etiam timendum mihi fuerit ne oculos perderem, aut saltem alterutrum amitterem. Sed Dei providentia factum est ut huic quoque malo finis optatus daretur. Itaque postquam ex hac ægritudine emerxi, neque enim audeo dicere convaluisse me, delatus est ad me liber Marnæsij, is ipse nimirum quem Chiffletius viderat. Nam in eo scriptum erat, librum fuisse ex Bibliotheca monasterij Bonevallensis in diœcesi Viennensi. Prima ergo mihi cura fuit, ut librum Agobardi adversus Amalarium conferrem cum apographo Chiffletij; tum, ut librum de privilegio & jure sacerdotij, qui in eo quoque codice scriptus erat, cum editione Massoni similiter conferrem. Contuli etiam, ut hoc quoque obiter moneam, epistolas Aviti Episcopi Viennensis cum editione Sirmondi, meliori fortean luce aliquando donandas. Et non ita multo post remissus est liber ad Clapierium, domino suo bona fide reddendus.

## P R Æ F A T I O.

Addidi autem huic editioni, ne quid heic deesse conqueri posses, Lector, epistolam Papirij Massoni ad Ecclesiam Lugdunensem, itémque præfationem ejus ad Agobardum, & synopsis operum Agobardi. Verùm illud te monere velim, permulta esse in his Massoni lucubrationibus, quæ neque conveniunt moribus seculi Agobardici, neque congruunt historiæ illorum temporum. Sed hæc ad vivum excutere nolimus. Si quid tamen illic repereris, quod Notis nostris contrarium sit, existimare omnino debes id totum esse contrarium veritati.

Agobardo autem adjungere placuit epistolas duas Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis, cui Agobardus successit, antea cum Agobardi operibus editas à Massono. Sunt autem epistolæ illæ valde corruptæ, tum ob imperitiam librarium, tum etiam ob audaciam monachi cujusdam Insulæ Barbaræ nobis incogniti, qui glossematis suis omnia turbavit. Si quid ergo emendari facile potuit absque auctoritate vetusti codicis, fecimus. Reliqua meliori tempori seposuimus, si Deus aliquando nancisci faciet veterem epistolarum Leidradi codicem, qui navis illis careat.

Post Leidradum, sequuntur epistolæ & opuscula Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis, qui statim post Agobardum in ea cathedra sedit. Et epistolas quidem ad Theoboldum, & ad Gothescalcum, Amulonis esse nemini dubium hæctenus fuit. De opusculis verò non satis constat an sint Amulonis. Verùm quia ea Amulonis esse suspicatus est Jacobus Sirmondus, vir eruditissimus, ea desiderari nolimus in hac nostra collectione. Et edidimus suis locis ejusdem Sirmondi præfationes in opuscula illa Amulonis.

Demum addidimus librum Flori Diaconi de electionibus Episcoporum, à Massono pridem editum cum operibus Agobardi, & à nobis emendatum, quantum fieri potuit.

P R Æ F A T I O.

Accedunt Notę nostrę ad Agobardum ceterosque  
scriptores quos diximus. Tum, Appendix Actorum  
veterum, quorum in Notis facta mentio est. Et puto  
res in ea appendice contentas ejus esse momenti, ut  
non malę collocaturus sis operam quam positurus es  
in legendis veteribus illis monumentis.

Hęc sunt, Lector, de quibus te monendum esse  
putavi. Vides autem dare me sedulo operam, ne fal-  
lam expectationem tuam. Nam qui proximo anno  
promiseram novas editiones nonnullorum veterum  
scriptorum, & in his Agobardi, fidem meam, quam  
tibi obstrictam sciebam, vel hac editione liberare vo-  
lui. Cumulavi sanę beneficium, dum Leidradum,  
Amulonem, & Florum conjunxi. Hi enim promissi  
non fuerant. His utere, Lector; & anno sequenti  
Hildebertum Cenomanensem Arnulphumque Lexo-  
viansem a nobis expecta. Vale.



Clarissimo



Clarissimo eruditissimoque Viro

PETRO FRANCISCO

CHIFFLETIO

Presbytero Soc. IESU

STEPHANVS BALVZIUS

TVTELENSIS

S. P. D.

**P**OST edita superiore anno Lupi Abbatis Ferrariensis opera, cum intelligerem promissas à me esse in Præfatione novas editiones nonnullorum veteris ævi scriptorum, ac promissi fidem esse præstandam, placuit initium facere ab Agobardo Archiepiscopo Lugdunensi, qui regnante Ludovico Pio floruit, adeoque Lupi fuit æqualis. In hoc ergo sum ut Agobardi opera, cum codice MS. quo Pap. Massonus usus est collata, emendatiora, atque integriora, quantum in me

ẽ

erit, in publicum exire faciam. Et quia  
compertum habeo, penes te extare Tra-  
ctatum ejusdem Agobardi contra qua-  
tuor libros Amalarij Abbatis, hæcenus  
ineditum; communitas nostrorum stu-  
diorum, tuaque nota humanitas efficit,  
ut, tamenetsi ignotus sim tibi, Vir cla-  
rissime, nullóque te unquam officio de-  
meruerim, non dubitem tamen à te pe-  
tere exemplum illius operis Agobardici,  
ut cum ceteris clarissimi scriptoris ope-  
ribus edi possit. Certè in ea sum senten-  
tia, adeóque bene sentio de tua propen-  
sione erga viros quibus literaria isthæc  
negotia cordi curæque sunt, ut nullus  
dubitem quin me libro illo dones; præ-  
sertim cùm id tibi in antecessum polli-  
cear, non defuturum me officio meo in  
hac parte, publicèque professurum edi-  
tionem illius operis tibi uni deberi. Et  
omnino celeritate utendum est, si quid  
mihi à te, Vir eruditissime, expectandum  
est. Nam statim post Pascha, Agobar-  
dus tradetur typographo, sed ei typo-  
grapho qui diligens est, præsertim quo-  
ties mea eduntur. Itaque novam istam  
Agobardicarum lucubrationum editio-  
nem absolutam spero fore proximis Ka-  
lendis Iunijs, aut certè non multò post.

Addam verò Notas meas, ad exemplum earum quæ cum Lupi operibus editæ sunt; prorsusque efficere conabor ut ij qui hæc studia amant, quique rectum sapiunt, intelligant non frustra collocatam in hoc fuisse operam meam. Interim omni studio à te, mi Chiffleti, (quidni enim te meum appellem?) contendo, ut me in tuorum amicorum numero habere velis, itaque existimes, neminem hodie esse qui te magis colat, tibi que sit amior, quam ego sum. Amo enim te veneror que absque fuce & fallacijs, more majorum; planè que, dum mihi animo obversaris, obversaris autem sapissime, Sirmondum mihi videre videor, virum & candidissimum & eruditissimum & beneficentissimum, & ut absque invidia loquar, dignum cui tu succederes in his studiis. Vale, Vir clarissime & eruditissime, & amantem redama. Lutetiæ XVI. Kal. April. M. DC. LXV.



Reverendo & eruditissimo Viro

STEPHANO BALVZIO

PETR. FRANCISCVS CHIFFLETIVS

SALVTE M.

**G**RATISSIMÆ mihi acciderunt (Vir eruditissime) litteræ tuæ, xvi. Kal. Aprilis ad me nuper datæ. Mitto igitur quod à me petis Agobardi opusculum adversus Amalarium: quod olim ex codice MS. Bonævallis, Vienneſis pagi, partim manu mea descripsi, partim ab alio descriptum ipse cum autographo contuli, ac recensui. An plura in hoc argumentum Agobardus scripserit, non liquet; plura certè in antiquis non reperi. De auctoris stylo ac genio tuum iudicium esto. Ego quidem ejus censuram haud iniquam existimaverim, si ille ab acrioribus aliquot punctiunculis temperasset, & veteri more calamum tinxisset in Christi sanguine, Agni immaculati, verè mitis & humilis corde. Vale, & me amare perge. Divione, viii. Kal. Aprilis, M. DC. LXV.

Opusculum Agobardi de privilegio  
& jure sacerdotij, quod habetur in Bibl.  
Patrum pag. 1223. in MS. quem vidi co-  
dice inscribitur, *Epistola Agobardi Epif-  
copi Lugdunensis, de sacerdotij dignitate,  
ad Barnardum Viennensem Archiepisco-  
pum. Barnardo Agobardus, &c.* Sic & in  
Ecclesia Viennensi, & in Ecclesiis Ro-  
manensi & Ambroniacensi quas funda-  
vit, constanter scribitur *Barnardus*, non  
autem *Bernardus*.

~~~~~  
*CLARISS. ERUDITISSIMOQUE*  
*viro PET. FRANCISCO CHIFFLETIO*  
*Soc. IESV Presbytero STEPHANVS*  
*BALVZIVS Tutelensis S. P. D.*

**A**CCEPI his festis Paschalibus  
suavissimas & humanissimas lite-  
ras tuas, Vir eruditissime, datas Divione  
VIII. Kal. Aprilis, & in eodem fascicu-  
lo, librum Agobardi Archiepiscopi Lug-  
dunensis contra quatuor libros Amala-  
rij Abbatis, quem ad me mitti postula-  
veram prioribus meis ad te literis. Ita-  
que nihil mihi reliquum est, in hac qui-  
dem parte, quam ut gratias tibi agam  
pro hoc beneficio tam lubenter ac dili-

genter præstito. Tenes enim illud Seneca: *Bis dat, qui citò dat.* Ago igitur atque habeo gratias quàm possum maximas; semperque meminero singularis istius tuæ humanitatis, donec spiritus hos reget artus. In editione autem operum Agobardi, quam paro, publicè profitebor, id quod antea quoque pollicitus sum, hoc opus Agobardicum tua cura repertum esse, ac mecum peramanter communicatum præcipiti quodam studio, ut in publicum edi posset. Ceterùm quòd de auctoris stilo ac genio meum vis iudicium esse, ac si postulares, tu, inquam, qui unus multorum rectiùs de ijs rebus censere potes pro tua summa eruditione; ostendis tu quidem virtutem tuam esse supergressam vitium plerisque cordatis etiam viris commune, ut obscientiam inflentur, juxta observationem Apostoli; sed tamen eodem tempore oneras verecundiam meam. Novi enim me; & omnino persuasum habeo, neminem hodie esse, eorum nimirum, qui hæc studia tractant, cui non concedere debeam; multò magis tibi, viro sine controversia eruditissimo. Amplector itaque lubens iudicium ipse tuum, & pedibus, ut aiunt, in sententiam tuam

transeo. Quòd autem admones, vidisse te codicem MS. libri ejusdem Agobardi de dignitate Sacerdotij, velim ex te scire, an variantes lectiones adnotaveris. Et si id fecisti; cumulabis sanè beneficium mihi præstitum, si hanc quoque vigiliarum tuarum partem mecum communicaveris. Nam quòd ais, Archiepiscopum illum Viennensem, cui Agobardus inscripsit librum de dignitate Sacerdotij, non Bernardum, ut nunc vulgò scribitur, sed Barnardum constanter nominatum legisse te in veteri codice MS. & in veteribus membranis; id mirum forsitan videri posset, cùm in codice MS. Papij Massoni constanter vocetur Bernardus, nisi constaret non tam librorum vitio id factum, quàm propter affinitatem literarum A & E in hujuscemodi nominibus, id quod multis exemplis probari potest ex illa antiquitate. De Amalario porrò, adversus quem Agobardus scripsit librum à te missum, velim scire, cujusnam monasterij Abbas fuerit. Neque enim memini legisse me, eum fuisse Abbatem, sed tantùm Diaconum. Verùm cùm ita doceat codex MS. Bonævallis, planè necesse est affirmare Abbatem quoque alicubi fuisse; præfer-

tim cū in codice M S. Bibliothecæ  
Thuanae, quem laudat Vir clarissimus  
Philippus Labbeus, ita disertè scriptum  
sit: *Tomus Amalarij Abbatis de divinis  
Officiis.* Et sanè magna erat ejus fama in  
palatio Ludovici Pij, & Ludovicus eum  
plurimi faciebat, ut patet ex ipsomet  
Amalario & ex Ademaro Cabanensi.  
Itaque fieri tum facillimè potuit ut ei  
Ludovicus monasterium quoddam  
committeret, pro more illius seculi. Si  
quid ergo hujuscemodi repereris; oro te,  
Vir humanissime, ut ad me mittas quic-  
quid id erit. Nam editionem hanc Ago-  
bardicarum lucubrationum valde cupio  
esse perfectissimam, quantum in me erit.  
Vale, Vir clarissime & eruditissime; &  
ut tute occœpisti, sic amare perge. Lu-  
tetia Parisiorum VIII. Idus Aprilis  
M. DC. LXV.

REVERENDO ET PER QUAM  
erudito Viro STEPHANO BALVZIO  
PETR. FRANCISCVS CHIFFLETIVS S.

GAUDEO, Vir eruditissime, per-  
venisse ad te, sed & gratum tibi  
accidisse munusculum meum, Agobardi

inquam opusculum adversus Amalarij  
Abbatis libros de divinis Officijs, olim  
à me descriptum ex codice Bonævallis.  
Plura vellem tua causa, si facultas adef-  
set. Quo loco mihi occurrerit Agobardi  
ad Barnardum libellus de privilegio &  
jure Sacerdotij, nunc non recordor. Ex  
illo certè variantes lectiones nullas ex-  
cerpsi. De Barnardi nomine obstinatiùs  
nolim contendere. scio enim & à non-  
nullis Barnardum scribi. nec est magni  
momenti hæc diversitas. In excerptis  
meis ex veteri Martyrologio S. Mauricij  
Viennensis lego:

*X. Kal. Februarij, Depositio sancti  
Barnardi Viennensis Episcopi.*

In Calendario S. Petri Viennensis:

*X. Kal. Februarij, S. Barnardi Episcopi.*  
Sic & in Breviario Viennensi typis edito.  
Cujus monasterij Abbas fuerit Amala-  
rius, hætenus nusquam reperi. Quod re-  
liquum est, tuis me precibus ac sanctis  
sacrificiis plurimùm commendo. Divio-  
ne, XIX. Aprilis, M. D. C. LXV.





# ELOGIA

DE AGOBARDO.

*EX EPISTOLA LUDOVICI  
& Lotharij AA. præfixa Concilio  
Paris. anni DCCCXXIX.*

**T**ERTIO verò apud Lugdunum ;  
ubi AGOBARDVS, Bernardus,  
Andreas, Benedictus, Agericus, cum  
suffraganeis suis, similiter conveniant.

*EX PRÆCEPTO HLVDVVICI  
& Hlotarij Impp. pro monasterio Be-  
suensi, quod editum est à clariss. Viro  
Domno Luca Dacherio in Tomo I. Spi-  
cilegij pag. 507.*

**S**ED & constitutionis Cartulam,  
quam ipse ( id est, Albericus Epif-  
copus Lingonensis ) unà per consensum  
Metropolitani sui AGOBARDI Ar-  
chiepiscopi, & suffraganeorum suorum,  
neq̄non & Cleri sibi subjecti, & quorun-  
dam laicorum nobilium confirmaverat,  
nobis ostendit &c. --- Actum anno ab

Incarnatione Domini octingentesimo  
xxx. Indictione viii. Epacta xv.

*EX CARTA ALBERICI EPIS-  
copi Lingonensis pro eodem monasterio,  
edita ab eodem Dacherio pag. 509.*

**I**DEOQUE per consilium Archiepis-  
copi nostri AGOBARDI, & con-  
sentientibus Coëpiscopis nostris, nec-  
non & piissimis nostris Principibus, seu  
omni Clero, necnon & omnibus fide-  
libus Ecclesiæ nostræ, addidimus de epif-  
copatu nostro villas his nominibus &c.  
---- *Infrà*: Actum Lingonis civitate pu-  
blica. In Christi nomine AGOBAR-  
DVS Lugdunensis Ecclesiæ Archiepis-  
copus subscripsi.

*EX PRÆCEPTO LVDOVICI  
Pij Imperatoris pro monasterio Ania-  
nensi, quod ab eodem Dacherio editum  
est in Notis ad Guibertum Abbatem B.  
Mariæ de Novigento pag. 623.*

**P**ROXIME' accidit AGOBAR-  
DVM Archiepiscopum ad no-  
stram devenisse præsentiam, indicans  
nobis quomodo eo præsentente & Nibridio

Archiepiscopo, sine mora omnes pari  
consensu Tructesindum super vos elegis-  
setis Abbatem.

*Vetus auctor vitae Ludovici Pij Impera-  
toris, ad annum DCCCXXXV.*

**T**RANSEGIT ergo Imperator  
maximam partem hiberni tempo-  
ris Aquisgrani; indeque profectus est ad  
Theodonisvillam ante Natalem Domi-  
ni; ubi etiam populus, cui præceptum  
fuerat, advenit. Vbi consistens, contra  
quosdam Episcopos de sui dejectione  
conquerebatur. Sed quum quidam in  
Italiam confugissent, quidam vocati  
obedire noluisse, solus Ebo eorum qui  
impetebantur affuit. Qui quum rationis  
reddendæ causa super talibus urgeretur,  
causabatur se solum relictis omnibus, in  
quorum præsentia hæc facta fuerant,  
urgeri. At verò ceteri Episcopi, quum  
obtenderent necessitatem præsentia,  
excusarent autem voluntatem innocen-  
tia; idem Ebo tandem molestè ferens  
talibus extædiari, consilio petito aliquo-  
rum Episcoporum, ipse in se quandam  
confessionem prædicavit; confirmavit-  
que se & indignum sacerdotio; & irre-

vocabiliter eo abstinere iudicavit. quod  
& Episcopis & per eos Imperatori con-  
tradidit. Quo facto, AGOBARDVS  
Lugdunensis Archiepiscopus, qui evo-  
catus ad satisfactionem venire distulit,  
quum ter esset evocatus, ab Ecclesiæ  
præsulatu semotus est, ceteris, ut dixi-  
mus, in Italiam fugientibus.

*Idem auctor ad annum DCCCXXXVI.*

**P**ROXIMUM huic Placito Con-  
ventum Imperator in pago Lugdu-  
nensi habuit tempore æstiuo, in loco qui  
vocatur Stramiacus, cum Pipino & Lu-  
dovico filiis. Nam quod Lotharius non  
affuit, invalentia ægritudinis supradictæ  
obfuit. In quo causam Ecclesiarum Lug-  
dunensis atque Viennensis vacantium  
ventilari fecit; eò quòd Episcopi du-  
dum illarum, AGOBARDVS quidem  
jussus ad rationem non venerit reddend-  
dam, Bernardus autem Viennensis af-  
fuerit quidem, sed rursus fugam inierit.  
Sed hæc quidem res imperfecta reman-  
sit, propter absentiam, ut prædictum  
est, Episcoporum.

VVALFRIDI STRABI VERSVS  
ad Agobardum Episcopum  
Lugdunensem.

**D**VM vix ter senos habuiffem tēporis annos,  
Ad vos nomen ijt, ô Pater alme, meum.  
Perveniffe fcio, quando refcripta recepi,  
Quæ magni nobis inftar amoris erant.  
Si meminiffis enim, quia nam meminiffe poteflis,  
Gaudeo, & ut memores fitis ubique rogo.  
Ipfe amor ardet adhuc animis, viget ipfa volūtas  
Vifendi temet, atque tuo ore frui.  
\* f. colens. Æthiopum fi regna\* calens, fi rura Sabæa  
Liquit Regina, ut Salomona petat;  
Cur nos non potiùs, quibus altera regna paratur,  
In folo auctoris femper amore fumus?  
Nam, fateor, fi certa mihi nunc optio detur  
Ut capiam mundi dona vel ingenij;  
Otia liberiùs verum fecura fcienti  
Aurea quàm fecla, fed peritura, fequar.  
At de flore novo, qui vos penès ortus odorem  
Prodit ubique fui, hæc loca rumor alit.  
Flora venit quondam, dum fingula quæq; deorū  
Sunt affata jugis prata thymumque gerens.  
Huic Floro meliùs fententia Chrifticolarum  
Attribuit quidquid dogmate & ore viret.  
Nam hic Florus florē fequitur de germine Ieffe,  
Et tradit quod amans attulit ille homini.  
Quæ tam fegnis erit, donis ingrata fupernis,  
Quæ fe hoc non fponte nectare pafcat apes?  
Floreat haud flaccens hic flos, & florea flagrans  
Spiramenta ferat femper ubique Deo,  
Donec in aſtriferas porrecta cacumina fedes

VS  
Erigat, & fructum jam sine fine habeat.  
Cedant ambrosiæ, rosa, lilia, spica, crocûsque;  
Suavia cuncta simul. Hujus amor placeat.  
Hoc fruar, hoc utar, fovear, delecter, abundem;  
Auditu & visu hujus alar, docear.  
Det quandoque Deus nos mutua dona vicissim  
Impertiri. Aliquid pars utriusque metet.  
Munere divino precor ô sine fine valete,  
Mittentes vestræ dulcia scripta vicis.

*Ado Viennensis in Chronico,  
ad an. DCCCX.*

IR,  
tas  
tis,  
im.  
os,  
m.  
tis,  
tas  
r,  
ti  
s

**B**ERNARDVS Viennensis Episcopus erat, & Leidradus Lugdunensis, qui initio imperij Ludovici Imperatoris Sueffionis monasterij locum petiit; & in loco ejus AGOARDVS ejusdem Ecclesiæ Coëpiscopus, consentiente Imperatore & universa Gallorum Episcoporum synodo, Episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eundem venerabilem Agobardum à tribus Episcopis in sede Lugdunensi, jubente Leidrado, fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est in una civitate duos Episcopos non esse, nec vivente Episcopo successorem sibi debere eligere; ac idcirco ulla quacunque causa regulæ Ecclesiæ præteriri in tanto ordine fixæ non debent.

*Idem auctor ad an. DCCCXV.*

**B**ERNARDVS adhuc & AGO-  
BARDVS Viennensem Ecclesiam  
regebant. Qui ambo apud Imperatorem  
delati, desertis Ecclesiis in Italiam ad fi-  
lium Imperatoris Lotharium se contule-  
runt; & postmodum, piis Imperatori-  
bus agentibus, Agobardus Lugdunen-  
sem, Bernardus Viennensem sedem re-  
cipit. Post pauculos annos Agobardus  
apud Sanctonas in expeditione regia po-  
situs defungitur.

*Flodoardus lib. i i. Hist. Rem. cap. xx.*

**A**NNO Incarnationis Dominicae  
octingentesimo tricesimo quarto  
Lotharius territus conventu fratrum  
suorum ac plurimorum fidelium patris  
Imperatoris, fuga lapsus, patrem suum  
adhuc ab ingressu Ecclesiae sequestra-  
tum dimisit. Cum quo inter alios etiam  
quidam Episcopi, fautores ipsius in ad-  
versitate patris sui, relictis contra sacras  
regulas sedibus suis, perrexerunt, Iesse  
videlicet Ambianensis, & Hereboldus  
Antisiodorensis, AGOBARDVS Lug-  
dunensis, & Bartholomæus Narbonen-  
sis Episcopus.

*Ex Chronico*

*Ex Chronico Hugonis Flaviniacensis.*

**L**EIDRADVS verò in initio imperij Ludovici Imperatoris Sueffionense monasterium petiit; & in loco ejus AGOBARDVS substituitur ejusdem Ecclesiæ Chorepiscopus, consentiente Imperatore & omni Gallicanorum Episcoporum synodo. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eum à tribus Episcopis in sede Lugdunensi jubente Leidrado fuisse ordinatum. Hic igitur Agobardus & Bernardus Viennensis apud Ludovicum accusati; desertis Ecclesiis in Italiam ad Lotharium se contulerunt. Sed agentibus piis Imperatoribus uterque sedem suam recepit. Et post paucos annos Agobardus apud Sanctonas in expeditione regia defungitur.

*Ex eodem Chronico, ad annum*

DCCCXLI.

**E**ODEM anno AGOBARDVS Lugdunensis Episcopus obiit.

*Ex Chronico S. Benigni Divionensis*

*edito à R. P. Phil. Labbeo, ad*

*an. DCCCXL.*


**H**Oc anno, sanctæ memoriæ HAGOBARDVS Lugdunensis Episcopus obiit VIII. Idus Iunij.

*Ex Martyrologio Ecclesie Lugdunensis.*

VIII. Idus Iunias. ] Lugduni, AGO-  
BARDI Episcopi & Confessoris, vulgò  
*S. Agobo.*

*Ex Martyrologio MS. Monasterij  
sancti Claudij.*

VIII. Idus Iunij. Depositio beati  
AGOBARDI Lugdunensis Episcopi.



## DE LEIDRADO.

*Theodulfus Aurelianensis in Parænesi ad  
Iudices.*

**H**ÆSERAT hac nobis LAIDRA-  
DVS forte sodalis,  
Cederet ut magn<sup>9</sup> hoc revelāte labor.  
Noricus hunc genuit. Hunc tu Lugdune  
futurum  
Pontificem speras relligionis ope.  
Arte cluit, sensūque viget, virtute re-  
dundat.  
Cui vita ad superam transitus ista  
manet.

*Ex Præcepto Ludovici Pij Imp. pro Eccle-  
sia Matisconensi, apud Severtium in  
Episcopis Matisconensibus Num. XVII.*

§. IV.

Nos interea Missum nostrum venera-  
bilem LEIDRADVM Archiepisco-  
pum ad hanc rem investigandam & di-  
ligenter inquirendam misimus; & inve-  
nit quòd per justitiam prædictæ Eccle-  
siæ, juxta divisionem quæ dudum facta  
est, esse debebat. Qui rediens, nobis  
renuntiavit hanc rem ita se habere sicut  
prædictus Episcopus assererat.

*Alcuinus in epistola LXIX. ad fratres  
Lugdunenses.*

Religiøsæ in Christo conversationis  
vestræ per LAIDRADVM electum  
Pontificem laudabilem audiens sollici-  
tudinem, magno esse me gaudio delibu-  
tum fateor.

*Idem in Præfatione librorum adversùs  
Elipantum Toletanum.*

Dominis in Christi caritate venera-  
bilibus, atque dilectissimis, LEIDRA-  
DO Episcopo Lugdunensi, & Nefridio  
Episcopo Narbonensi, & Benedicto Ab-  
bati &c. humillimus sanctæ Ecclesiæ fi-  
lius Albinus salutem.

*Ex Confessione fidei Felicis Orgellitane  
sedis Episcopi.*

Secundùm quod & venerabilis Dom-  
nus LAIDRADVS Episcopus nobis in  
Orgello pollicitus est.

*Ex Testamento Karoli Magni Imp.  
apud Eginhardum.*

Episcopi , Hildebaldus , Ricul-  
fus , Arnulfus , VVlfarius , Bernuinus , LAI-  
DRADVS , Ioannes , Theodulfus , &c.

*Ado in Martyrologio , XVIII.*

*Kal. Octobris.*

Post multa verò curricula annorum,  
gloriosissimo Carolo Francis imperante,  
contigit legationem Francorum feren-  
tes illustres ac sapientia circumspectos  
Legatos transitum per Africam fecisse.  
Hi cum Carthaginem dirutam, & loca  
venerabilia sanctorum martyrum, rever-  
tentes à Rege Persarum Aaron, qui ex-  
cepta India totum penè tenebat Orien-  
tem, vidissent, facile sibi conciliato  
Principe, ac favorem in re tali præstan-  
te, pro magno munere rogaverunt ut  
ossa B. Cypriani eis ferenda permitteret.  
Quod ille non magni ducens, postulata  
concessit, utque pio Imperatori, cujus  
gratiam omnium, qui in toto terrarum  
orbe erant, Regum amicitia præpone-

ret, ipsi ea ferrent, libenter assensit. Cumque venerabiles Legati ingentia dona, martyrum scilicet reliquias ferentes, (nam & beati Sperati martyris membra, qui unus fuit ex illis duodecim clarissimis martyribus Scillitanis, caput etiam martyris gloriosi Pantaleonis, secum cum beatis ossibus Cypriani habebant) reverterentur, prosperis usi velis, tandem pervenerunt Arelatem; ubi sacra martyrum membra signata interim relinquentes, legationem suam Imperatori renunciare festinarunt; & inter alia, de sanctorum reliquiis ab Africa deportatis ejus animum attollunt. Vnde ille plurimum lætus, eas tamdiu apud Arelatem digna veneratione servare iussit, donec ipse magno aliquo opere in regno suo templum conderet, ubi tam pretiosum pignus ingenti cultu & ornatu reponeret. Sed emergentibus causis, dum opus tardiùs construitur, occasionem nactus LEIDRADVS venerabilis Lugdunensis Episcopus Imperatorem rogavit ad civitatem suam deferre beata ossa martyrum ei licere. Annuit Imperator. Et dum is ocyus votum suum pius perficit, cum honore infra civitatem Lugduni deportata sunt; ibique in ma-

jori Ecclesia beati Iohannis Baptistæ ac sancti martyris Stephani ad defensionem civium, Deo id misericorditer operante, sanctus Episcopus reliquias gloriosorum martyrum in prædicta Ecclesia post venerabile altare decentissima sepultura recondidit, ac posteris civibus suis profuturas honorabiliter commendavit. Sed post, interposito tempore, regnante glorioso Rege Carolo Ludovici Imperatoris filio, iterum reliquiae beati Cypriani ad monasterium novum quod idem Rex augustus construxit in Compendio Palatio suo, eo iubente translatae sunt.

*Idem in Chronico, ad annum DCCCX.*

Bernardus Viennensis Episcopus erat, & LEIDRADVS Lugdunensis, qui initio imperij Ludovici Imperatoris Sueffionis monasterij locum petiit; & in ejus loco Agobardus &c. *Vide supra inter elogia Agobardi.*

*Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico.*

Post Adonem Hilduinus nepos ejus Lugdunensem Ecclesiam paululum non Episcopus tenuit; & abscedens, Lirinis monachus factus est. Post quem Lugdunensem Ecclesiam LEIDRADVS

suscepit, honori Reipublicæ utilis.

LEIDRADVS verò in initio imperij Ludovici Imperatoris Sueffionense monasterium petiit, & in loco ejus Agobardus substituitur.

DE AMVLONE.

*Auctor brevioris Chronici S. Benigni  
Divionensis.*

DCCCXL. Hoc anno sanctæ memoriæ Agobardus Lugdunensis Episcopus obiit VIIII. Idus Iulij. AMOLO præfati Episcopi Diaconus ordinatur Episcopus Lugdunensis XVIII. Kalendas Februarias.

*Hugo Abbas Flaviniacensis in Historia  
sua collectaneis.*

Post Agobardum AMOLO quoque Lugdunensium Episcopatum suscepit. cujus auctoritas & amor Caroli Regis erga eum multum valuit sancto Papæ Leoni, ut ipse Leo testatur in epistola ad eum missa.

*Lupus Abbas Ferrariensis in epistola LXXX.  
ad Vsuardum Abbatem.*

Non estis obliti quemadmodum vo-

bis, præsentibus majoribus Ecclesiæ ve-  
stræ, constitutum synodi decretumque  
Metropolitani AMVLI ostenderim su-  
per Presbytero Godelgario &c.

*Idem in epistola XXXI. ex parte VVen-  
lonis & Gerardi.*

Reverentissimo & clarissimo Præfuli  
AMVLO Guenilo Episcopus & Gherar-  
dus Comes perpetuam salutem. MVLT  
& magna jussu Domini nostri Regis, &c.  
*De Episcopis Augustoduni & Cabillone or-  
dinandis.*

*Flodoardus libro III. Historiæ Remensis,  
cap. XXI. de Hincmari ad Amolonem  
epistolis.*

AMVLO Lugdunensi. De placito  
quod habuerat cum Rege, regni-  
que primoribus, & de Iudæorum in hoc re-  
gno statu.

ITEM de Synodo à tribus Regibus  
condita, & de Ebone præcessore ipsius,  
& aliis nonnullis. in qua eum carissimum  
& unanimum sibi patrem se habere sig-  
nificat.

ITEM. De Lothario Rege, & aliis  
quibusdam rebus. in qua se filium dile-  
ctionis ipsius appellat.

ITEM. De Gothescalci vita vel con-  
versatione, prædicatione, deprehen-

fione, atque condemnatione, rei veritatem exponens.

*Ioannes Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis. inter alia.*

HAMVLVS Episcopus Lugdunensis, vir in divinis scripturis studiosus, tam Hebraïca quàm Latina lingua clarus, scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus legi opus insignè ad Carolum contra Iudæos, *Detestanda Iudæorum, &c.*

AMOLONIS præterea mentio fit in Caroli Calvi capitulis cap. VI. in villa Sparnaco, & in Ioannis VIII. epistola CLXIII. & apud alios. sed nusquam illustrior, quàm apud Lugdunenses ipsos, qui SANCTI eum titulo exornant in Martyrologio, aliisque monumentis Basilicæ Ireneane.

---

## DE FLORO.

*Vandalbertus in Præfatione sui Martyrologij.*

**I**N quo opere quia solemnum dierum certissima comprehensio non leviter nec facilè pro librorum varietate

constabat, ope & subsidio præcipuè  
usus sum sancti & nominatissimi FLORI  
Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi; qui  
ut nostro tempore revera singulari stu-  
dio & assiduitate in divinæ Scripturæ  
scientia pollere, ita librorum authenti-  
corum non mediocri copia & veritate  
cognoscitur abundare.

*Sigebertus in libro de Scriptoribus  
ecclesiasticis.*

Florus epistolas Pauli ex integro ex-  
posuit: qui nihil à se dicens, sed omnes  
Augustini libros revoluens, & capitula  
epistolarum Pauli ab Augustino diversis  
locis exposita recolligens, ipsa capitula  
exposita restituit ordini epistolarum;  
annotans singulos Augustini libros, in  
quibus ea capitula exposita erant. & sic  
novo & mirabili studio, de alieno labore  
magnum sui operis volumen edidit.

*Ioannes Trithemius in libro secundo de viris  
illustribus Ordinis S. Benedicti cap. XLIV.*

Florus monachus S. Trudonis Leo-  
diensis diœcesis, vir in divinis scripturis  
studiofissimus, & satis eruditus, librorum  
sancti Augustini amator præcipuus, de  
quibus sententias suo congruentes pro-  
posito collegit. Omnes epistolas beati  
Pauli Apostoli ita magnificè exposuit,

ut Augustini opus in toto videatur. Nihil enim de suo inferuit. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

*Matthæus Vestmonasteriensis ad annum DCCCLXXXIII. loquens de Ioanne Scoto.*

Scriptit enim contra eum quidam Florus, qui & ejus scripta depravando damnavit.

*Iacobus Sirmondus in Notis ad Avitum Viennensem Episcopum.*


Hæc porrò FLORI Magistri, sic enim appellatus est, expositio in epistolas S. Pauli ex decem omnino Patribus delibata est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem diacono, Paulino, Leone Papa, Fulgentio, & Avito. Post hunc librum, sequitur in eodem codice Carthusiæ liber II. Flori ejusdem, de Missa, & de aliis quibusdam ecclesiasticis institutionibus. In alio verò ejusdem Bibliothecæ volumine, operibus Irenæi præfixa est Flori Præfatio, cum epistola Agobardi. Ejusdem præterea Flori est liber adversus Ioannem Scotum, qui Ecclesiæ Lugdunensis nomine est editus, & sermo de prædestinatione, quem integrum recitat Hincmarus in præfatione postero-

ris operis contra Gothescalcum. De  
Floro denique, ne cetera persequar,  
Vvalafridi Strabi extant versus ad Ago-  
bardum eundem Episcopum Lugdunen-  
sem, & inter Agobardi opuscula, Ago-  
bardi ipsius & Flori nomine inscripta  
epistola ad Bartolomæum Episcopum.  
Erat enim Diaconus Ecclesiæ Lugdu-  
nensis, & Agobardo, ut apparet, fa-  
miliaris.

*Illustrissimus Vir Petrus de Marca Ar-  
chiepiscopus Parisiensis in libro VIII. De  
Concordia Sacerdotij & Imperij cap.  
XIV.*

In quo non folis conjecturis agen-  
dum, cum habeamus disertum Flori Ma-  
gistri testimonium. Florebat hac ætate  
auctor iste, à Vvalfrido Strabone valde  
laudatus: qui sententiam suam de ele-  
ctionibus in Fragmento quodam descri-  
psit circiter annum DCCCXX. quod  
edidit Papius Massonus, & ex eo Illu-  
strissimus Baronius.

*Vide Clariss. Virum Petrum Franciscum  
Chiffletium Presbyterum è Soc. IESV in  
Notis ad Ferrandum pag. 272. 273. 322. &  
seq. & Notas ad Lupum Ferrariensem  
pag. 406. & 501.*



CLARISSIMI VIRI  
PAPIRII MASSONI

PRÆFATIO  
AD AGOBARDVM,  
EDITA ANNO M. DC. V.



ANCTÆ & illustri Lucdunensi  
Ecclesie Papius Massonus Iu-  
risconsultus salutem. Sub Anto-  
nino Vero Cæsare, Gallie urbes  
facile principes, & quæ præter ceteras præ-  
stare dicebantur, erant Lucdunum & Vien-  
na, ad confluentes Rhodani & Araris no-  
tissimorum fluminum sitæ; ubi Claudium  
Cæsarem Suetonius, & ante eum Seneca,  
natum prædicant. Et Lucduni quidem nun-  
dinæ celebrabantur, quæ propter frequen-  
tiam hominum ex omnibus eò gentibus com-  
meantium, magnæ ubique famæ, laudari  
prædicarique consueverant. Eusebius Cæsa-  
riensis libro quinto ecclesiasticæ historiæ su-  
periora commemorat: simul ait Photinum

PAPIRII MASSONI

beatissimum virum, illius urbis Episcopum, anno ætatis nonagesimo & amplius, pro Christo multa passum, in carcere in quem à militibus coniectus esset, excessisse è vita. Nec multò post Deus illi præclarum successorem dedit Irenæum, vitæ sanctitate & scientia admirandum, ut opera ejus ostendunt, idque idem scriptor multa de eo & illustria referens narrat. Post quem magni nominis fuit Verissimus, is qui Sardicensi synodo interfuit solus ex Episcopis Galliarum, & inter ceteros ei subscripsit. Iam venio ad Eucherium, cujus monumenta adhuc supersunt, celebrem Ioanni Cassiano, qui Leonis Magni Romanæ Ecclesiæ Pontificis temporibus vixit. is enim duobus locis de eo honorificentissimè loquitur, ut & Hilarius Arelatensis in vita Honorati decessoris sui, & multò post Florus Lucdunensis, vir egregiè doctus, cujus epistola & Agobardi extat ad Bartholomæum Narbonensem Episcopum. Sequitur Viventiolus, præstantissimus sanctissimûsque vir. Hic Lucdunensis Episcopus, cujus doctrinæ fuerit non solum ipsa, sed & aliorum de eo scripta testantur, inquit Agobardus: quæ cum perierint, aut adhuc alicubi lateant, de successoribus ejus mihi dicendum est. Itaque Agobardus, patria Gallus, Leidradi Norici doctique viri

PRÆFATIO AD AGOBARDVM.

successor fuit in Episcopatu Lucdunensi, temporibus Ludovici Pij Cæsaris Regisque Francorum, ejusque exauctorationi apud Sueffiones Belgicæ secundæ populos in monasterio sancti Medardi præfuit anno, ut ipse scribit, octingentesimo tricesimo tertio. de qua & Theganes Coëpiscopus Trevi- rum eadem ætate scripsit. & curiosi lectores utramque conferre poterunt. De Childeberto autem Rege, de Pipino, agit Agobardus, de Carolo Magno, ut qui in ejus funere epigramma scripserit, de uxoribus Ludovici, Ermingarde, & Iuditha pulcherrima illius temporis femina, etsi eas nominatim non attingit; de filiis ejusdem Cæsaris Lothario, Ludovico, & Carolo puero; de Regibus Burgundionum Gondebado, & Sigismundo, illiusque iniquissimam legem in perniciem mortalium excogitatam rationibus & argumentis firmissimis testimoniisque veterum planè convellit. Extant Burgundionum leges, unde illam funestissimam possis eruere. Vixit verò sub Gregorio quarto Romano Pontifice, cujus partes & Lotharij Cæsaris designati nimium fortasse aut acrius quàm vel oportuit, vel debuit, tueretur, præsertim adversus patrem benignissimum Regem, & quo nemo unquam melior aut justior fuit. Ceterùm qui partes ejus ad-

PAPIRII MASSONI

versus parentem secuti erant, in gratiam tandem restituti sunt, & inter ceteros Agobardus; eoq; usus est in magnis regni negotiis, quibus ille occupatus in Santonibus juxta Oceanum decessit. Iudicio quidem magno praeditus, & divina scientia instructissimus graviter & acerrime scripsit, ut opera eius fidem faciunt; relicta, propter sanctimoniam & eruditionem, immortalis nominis sui gloria, praesertim apud Ecclesiae filios, & alumnos suos, quorum mores & disciplinam penè jacentem atque intermortuam excitavit. Contra Felicem Vrgelitanum Episcopum scripsit, ut & Paulinus Aquileiensis, & alter incerti nominis, sed vir doctissimus, qui septem contra eundem libros conscripsit, quos manu scriptos nuper legi & admiratus sum. Episcopis praeterea Bernardo Viennensi, Nibridio Narbonensi, & successori ejus Bartholomaeo, de quo supra diximus, Eboni quoque Rhemorum epistolam scripsit; magnificentissimum & desiderantissimum Dominum patrem & filium appellans, & Eaori, cujus sedem propter penuriam auctorum nondum scire potui, Hilduino quoque sacri Palatii antistiti, & Vvala Abbatibus sanctissimis & beatissimis viris, & Adalardo atque Helisachari reverendissimis scribit, Abbates illos vocans, quorum ille in  
agro

PRÆFATIO AD AGOBARDVM.

agro Parisiorum insigni monasterio Dionysij præfuit, & qualis quantusque esset editione librorum notum fieri etiam curavit. Iudaicæ genti sibi omnino molestæ infestæque scripsit, perstringens eos, multasque inauditas eorum fictiones adversus Christum Iesum egregiè refellit. Matfredo præstantissimo atque illustrissimo viro etiam rescribit; Gericum, & Fredericum, atque Evrardum perstringens, & accusans, quod illi se ostendissent Christianis formidabiles, Iudæis autem mites. Et Matfredi quidem tempus mortis traditur in vita Ludovici. Synodos aliquot in Gallia habitas refert, & queritur duobus locis de Romanis Clericis, & aliis quibusdam, qui Canones Gallicanos ut inutiles & superfluos afferebant, Legatisque Romanæ sedis absentibus & injussu Cæsaris convocatas easdem synodos jaçtabant. Græcorum errores de imaginibus & picturis manifestissimè detegens, negat eas adorari debere. quam sententiam omnes Catholici probamus, Gregorijque Magni testimonium de illis sequimur. Divisionem quoque imperij à Ludovico factam perscribit; quæ apud Vvalafriadum Strabum, etsi non eisdem verbis, exponitur. De tonitru & tempestatibus, falsaque insanientis populi opinione agit, ut ante eum Maximus Tauri-

PAPIRII MASSONI

nensis in sermone & homelia fecerat, Theodosij Junioris temporibus. In disputando autem utitur divinatorum librorum testimoniis, ex veteri sacrorum translatione, interdum & Hieronymi. quod idcirco monere volumus, ne quis intempestivè turbetur, neve existimet aliquid à me vel additum vel mutatum. quod nefas semper existimavi, bonam fidem auctoribus deberi æquissimum putans. Testimonia patrum ubi opus est adducit atque exhibet, divi Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambrosij, ut ipse ait, doctrina sanctitate præcipui, Augustini, Leonis, Symmachi, Vigilij, Pelagij secundi, Gregorij Magni, & Gregorij secundi, Alchimi Aviti Viennensis Episcopi, quem doctorem orthodoxum & facundum dicit fuisse, postremò Bedæ. hunc gentis Anglorum hominem suo tempore non mediocriter doctum prædicat. Ex Græcis, Athanasij, Cyrilli, Theodoretii, Proculi, Ioannis Chrysostomi, Eusebij Cæsariensis, atque aliorum. Clementem Romanum Pontificem & Silvestrum, quos citat, præterire nolumus, etsi adhibita huiusmodi præfatione, licet iidem libri judicentur apocryphi, pleraque tamen ex his testimonia inveniuntur à doctoribus usurpata. Ex profanis autem scriptoribus nullius testimonio utitur, præterquam Prif-

PRÆFATIO AD AGOBARDVM.

*ciani Grammatici. Habeto ergo sancta & illustris Lucdunensis Ecclesia (quando ita Eusebius te vocat, immo illustrissimam appellat) mihi gratiam, & civica corona observatum civem me donato. Nam cum apud vos in vico Mercium libros quærerem, unâque mecum esset Stephanus Verdierus, nunc mortuus, & apud compactorem librorum versaremur ejus rei causa, illèque Agobardi codicem in membranis perscriptum veteribus notis dilaniare paratus esset, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, vitam illi redemimus. quod felix faustumque fuit.*

*Bene vale. Lutetia Parisiorum, Cal. Januarijs 1605.*





PAPIRII MASSONI

DE VITA

AGOBARDI

EIVSQUE DOCTRINA

BREVISSIMÆ SYNOPSIS.



**O**BSCURA fuit istius Episcopi  
multis seculis vita ; obscura,  
inquam ; non ingenij & acu-  
minis penuria, neque muneris  
ignobilitate , sed temporum nebulis,  
Habet Amandus suos testes; habent En-  
gilbertus, Ionas, Vvalafridus, ceterique  
contemporanei sua lumina ; hic verò  
pauca , immo ferè nulla , nisi ea quæ vel  
necessitas historiæ interserit , vel ipsius  
volumina furtim & quasi perperam re-  
tegunt. Habemus tamen ex Adone pri-  
mis incrementis initiatum fuisse Presby-  
terio ; & propter ipsius vitæ & doctrinæ  
integritatem ad Chorepiscopatus dig-  
nitatem euectum ; mox Ledrado in Suel-  
sonicum Monasterium concedente, ad

*Synopsis Operum Agobardi.*

fastigia Primatiæ Lugdunæ sublatum, consentiente Imperatore, & universa Gallorum Episcoporum synodo, ubi in veste & sarcina tantæ sublimitatis multos annos sine crimine transegit, perpetuis scholæ & linguæ certaminib<sup>9</sup> aggressus Iudæas synagogas. Sed labes unica fulgentem multa gloria senectam obscuravit. Cùm enim Clotharius odio & furis noveræ, nomine Iudith, filiæ Vvelphi Comitis, à clavo imperij universi removeretur; machinatur clam & apertè contra patrem, animosque utriusque gentis, laicæ & ecclesiasticæ, in excidium sceptri paterni abripit: inter quos Agobardus à fide Principis avulsus, accendit consilio juvenilem Clotarij animum. Convocatur Concilium: ubi de eripiendo patri diademate audacissimè quisque contendit. Hac specie invadit Cæsarem, & erepta corona, eundem in monasticam solitudinem conjicit. Galli furiunt, nec patiuntur tantam fieri patri injuriam; movent arma, restituunt Imperatorem; vocant filios, Pipinum, & Bernardum, quorum ope Clotharius ad orandam & exorandam veniam cogitur. Auctores consilij quærentur puniendi. Ecclesiastici ejus turbæ fomites depre-

Conrad.  
Abb. Vesp.  
perg. in  
chron.

*Papirij Massoni*

Aventinus  
l. 4. Annal.  
Boiorum.

henduntur; aufugiunt in Italiam. Ebo-  
nem ad Saxonios compulit Imperator. Ag-  
bertum Lugdunensem nihilo secius curia  
Pontificum movet: deponitur. ceteros quo-  
que in Italiam elapsos per omnium sacer-  
dotum religiones devovet. Posthac primo  
solis die quadragesimæ velut nondum ab in-  
iusta sacrificulorum execratione solutus,  
rursus à septem Archimystis solenni ritu bene  
precantibus, lectis de libro supplicamentis  
faustis bonisque omnibus, cum maxima om-  
nium qui aderant letitia, populo accla-  
mante, feliciter expiatur. Quasi verò in po-  
testate hominis sit, in arcæque sive vitro, sicu-  
ti genius ater magico susurro clausa tenea-  
tur æterna illa majestas, ut natu nostro vel  
claudat vel aperiat cælos.

Ado Vien-  
nens. sub  
ann. 815.

Turbæ ejusmodi & vitæ pacatæ dif-  
criminata avertunt animum à scribendo,  
ut deinceps lumini Evangelij, Ecclesiæ  
reparandæ, muneri obeundo intentus  
sit. Quo anno natus, nescitur. Scitur ip-  
sum natum aurea Caroli Magni ætate,  
illustrium & doctissimorum Apollinum  
alumna; floruisse ætate argentea Lude-  
vvici; extinctum verò inter ferrea filio-  
rum Ludevici certamina apud Sancto-  
nas in expeditione regia, inter quæ om-  
ne genus excidij Imperij labentis ruinas

*Synopsis Operum Agobardi.*

convellebat. Præfulsit oratorio dicendi genere, & imprimis Scripturæ memoria. Habuit illustres contemporaneos, Philosophia & Theologia claros, quorum volumina terimus, Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, Haimonem Episcopum Halberstati, Rabanum, Vvalafridum Strabum, Claudium Taurinensem de Adoratione Imaginum, Ionam Aurelianensem, Halitgarium, & Amalarium, Heliprandum Episcopum Toletanum, Engilbertum, &c. & plerosque alios, quos reticemus. Graves tractavit materias, quarum synopsis subijcimus.

*SYNOPSIS PRIMIVOLUMINIS  
adversus Dogma Felicis.*

**I**MPERIO Caroli Magni & Ludovici Cæsarum, è summis Pyrenæi apicibus emerfit quidam Episcopus Origellæ ab Aragonia, vir alioquin circumspectus, & subtilitatis Hispanicæ non indigus: qui Nestoriæ sectæ jam diu fulgore Evangelij extinctæ semina ab inferis excitavit. Objurgatur primò & convincitur ab Heliprando Toletano Episcopo. Inde ad Ratisbonæ compescendâ ejus insolentiâ Concilium trahi-

*Papirij Massoni*

tur ab Imperatore. Tertiò Romam; ubi prostratus ad limina D. Petri, heresim agnoscit coram Adriano Pontifice. Postremò cum iterum sua figmenta chartis exarasset, convenitur ab Agobardo, vincitur, profitetur errorem. Post ejus obitum, fundamenta dogmatis diruit, Patrum & Scripturæ auctoritate. Hæc sunt Felicis fundamenta.

I. Est è Nestorio: Duæ in Christo separatae personæ, quæ duplicem filium sive Christum constituunt. alterum in carne, alterum in verba. Istum non fuisse crucifixum, sed esse filium Dei, natura, veritate, proprietate, genere, natiuitate, substantia; illum, nempe incarnatum, fuisse passum, & esse filium Dei gratia, electione, voluntate, placito, prædestinatione, assumptione, adoptione.

II. Ut filium Dei naturalem, esse omnia essentialiter, æternitatem, sapientiam, &c. Ut hominem, omnia quæ illi insunt, esse accidentia, puerum, prophetam, &c. quæ sunt accidentia illi secundum dispensationem carnis, non propria secundum potestatem divinitatis. in humanitate esse solum sacerdotem, in divinitate vivificantem.

III. Vnde sequitur, Virginem esse alio

*Synopsis Operum Agobardi.*

modo genitricem divinæ, alio modo humana naturæ. Propriè, humanitatis; gratia verò, divinitatis.

IV. Et quemadmodum Christus & Ecclesia vocantur unum, nec sunt una persona, unumque Suppositum; sic quamvis dicatur Verbum carnem factum esse, & esse unum, non sunt tamen unica hypostasis.

Et hæ sunt foedæ voces, quibus Hispanus ille tenebrio Christi lumina ausus obvoluere; quas noster Gallus egregiis enervat argumentis.

I. In Christo duas quidem naturas, sed in unam hypostasim unamque personam substantialiter unitas. & inde non solum humanitatem sed totum Christum fuisse passum, divinitatem clavis confixam suo modo impassibili, sine sensu, sine passione.

Ideoque non duos filios, sed unicum in duabus naturis, sine confusione hypostaticum, filium Dei natura, proprietate, substantia; non autem gratia, cum sit coæternus Patri. Neque Prædestinatione, quia Pater non est prior ipso tempore, nec natura, sed origine. Nec adoptione, quia secus extitisset aliquando alienus à Deo. Nec assumptione, quia

*Papirij Massoni*

assumens & assumptus sunt idem. Sed  
unicus naturalis filius Dei. Et quemad-  
modum quilibet homo; anima & caro,  
est una persona; sic Christus una perso-  
na, Verbum & homo.

II. Ex tali unione fieri, ut ea quæ sunt  
carnis, fiant divinitatis. Nam si caro est  
propria Verbi; cur nomina carnis non  
erunt propria ei. Ideoque cum carnem  
sumpsit, omnia carnis propria sibi fecit;  
ita ut secundum utramque naturam sit  
& vivificator, & Pontifex, &c. sicut se-  
cundum utramque animæ & corporis,  
totus homo dicitur rationalis, dicitur  
puer, Philosophus.

III. Et per consequens, Virginem  
fuisse matrem utriusque naturæ, divinæ  
etiam, sine qua caro nunquam fuit in-  
carnata, totumque Christum incarna-  
tum genuisse.

IV. Quoad unionem Christi cum Ec-  
clesia, imparem esse cum incarnatione.  
Nam illa cum fiat, saltem spiritu, non  
corpore, fide non carne, voce non actu,  
amore non copulatione, ex infinito per-  
sonarum numero cum aliquo capite my-  
stico, non potest dici vera unio, unio  
inquam incarnationis, quæ fit ex duabus  
naturis & substantiis in unam personam.

*Synopsis Operum Agobardi.*

Et hæc sunt argumenta, quibus Agobardus vim & nervum dogmatis Feliciani confregit,

*II. Volum. De Insolentia Iudæorum.*

**I**N adversis nulla Gens abjectior, in prosperis insolentior Iudæorum. Beneficio Cæsareæ Majestatis locus pacis & moræ datus ipsis in Gallia fuerat, Lugduni potissimum. Sed ubi dulcedo pacis paululum eos laxat ab incommodis fugæ, struunt artes, adulantur aulicis nobilissimis, eosque pecuniis devincunt. & sic obliquis fraudibus Indicula à clementissimo surripiunt adversus Ecclesiæ Lugdunensis Episcopum, qui avertebat populum ab his.

Ne divenderent mancipia Christiana Iudæis.

Ne Mulieres Christianæ cum eis Sabatizarent.

Ne diebus dominicis operarentur.

Ne quadragesima cum eis pranderent, & easdem carnes ederent.

Ne carnes immolatas ab ipsis emerent, vinumque eorum biberent.

Insectantur eum, singulosque Christianos ad suas synagogas blanditiis & ampullatis Patriarchicæ dignitatis elogiis rapiunt; insolescunt, & contra morem

*Papirij Massoni*

Christianos servos emunt. Agobardus queritur apud Cæsarem, artes reteggit, auctores consilij aperit, petitque medellam tantæ ruinæ; pollicitus se Scripturæ testimoniis eorum vitam, mores, & superstitiosum vitæ genus depicturum.

*III. Volum. De Iudaicis superstitionibus.*

Hoc capite  
lege Ebon,  
non Eaor.

**A**BOMINANDÆ Gentis Iudaicæ pervicaciam ritûsque à veritatis semita alienos effecisse apud patres antiquos ut canones de cavendo contubernio, convictu, copulatione ipsorum componerentur, fusissimè hîc differit Agobardus, immo tanto odio habuisse ut illustrissimus ille Ambrosius mortem citiùs optarit, quàm maceriam templi Iudaici reædificare.

I. Seniores Clerici, qui convivio Iudaico interfuerint, excommunicantor per annum. Iuniores si præsumpserint, vapulanto.

II. A Cœna usque prima Pascha per plateas ne ambulanto. Secus, à Iudicibus distringuntor.

III. Nullus Christianus Iudæo servus esto, sed dato XII. solidorum pretio liberator.

IV. Si quis ad Iudaicum dogma servum Christianum illexerit, plectator

*Synopsis Operum Agobardi.*

mancipio, & legali damnatione puniatur.

V. Ne quis Iudæus sub tempus Paschatis Christianos convenito.

Causa istiusmodi severitatis est ab eorum rabie, pervicacia, atque corruptione doctrinæ, quam tot nebulis Pharisæicæ illæ Deuteroseis obtenderunt, ut nil penè luminis apud ipsos reliquum sit.

Deum esse corporeum, audire, & videre.

Corpus hominis ad imaginem Dei factum.

Ex vanis Dei cogitationibus dæmones creari.

Litteras Alphabeti esse sempiternas.

Legem Mosis ante mundum fuisse scriptam.

Plures esse cœlos, plures terras, plura inferna.

Deum habere septem tubas.

Petrum Apostolum propter hebetudinem sensus Cephæ, id est, Petram fuisse vocatum.

I E S U M C H R I S T U M Tyberij iudicio furca fuisse suspensum, sepultum juxta aquæductum, & ab inundatione aquarum sublatum, à Pilato per XII. Lunas quæsitum.

*Papirij Massoni*

Christianos idolatras vocant, quia sanctos invocant.

Habent præpositos Synagogis, qui sanguinem virginis menstruatae discernunt oculis & gustu, mundum vel immundum.

Possunt ambulare duo millia pedum in Sabbatho.

Vnde concluditur, quod si separatio ab hæreticis schismaticis fuerit præcepta, tantò magis à Iudæis, à *Concissione*, à qua lux evangelica fuit omnino extincta; more Apostolorum, qui in liminibus excutiebant pulverem pedum, & diro anathemate ipsos devovebant.

*Ad Adalardum, Vvalam &c.*

**A**D frequentes querelas de mania turbæ Iudaicæ Ludovicus Imperator coëgit cœtum Episcoporum: ubi causam Christianæ Ecclesiæ egit Agobardus, sed perperam &c. timore præpeditus. Scribit jam ad nobiles patres, causam inopiæ mentis rejicit in timorem. Deinde carptim consulit istos Episcopos, quid agere debeat de mancipiis Iudæis qui ad Christianum Baptisma amore Christi illiciuntur, utrum eos suscipere an rejicere debeat.

*Synopsis Operum Agobardi.*

*Epistolæ ad Nibridium.*

**C**ONNECTIT superiori querelam,  
& commovet istum patrem omnés-  
que Episcopos, ut unanimi consensu fer-  
pentem in dies labem Iudaicæ commu-  
nionis extinguant, ne eorum Ecclesia  
extinguatur.

*Ad Imperatorem.*

**Q**UIA iste tractatus est ἀλέφαλον,  
adfigendum putavi hunc titulum.

*De impietate duelli contra Gundebadicam  
legem, quæ vult ensibus non iudicio  
causas dirimi.*

**C**VM omnes unum simus in Christo,  
unitate fidei, affectus, religionis,  
impium est pacem unanimem prælio di-  
rimere, & in litibus, gladiis vitam impe-  
tere, ubi æquitas iudiciorum, testium  
oculi & integritas, possunt supplere. Ad-  
de quòd lex illa non est nec Mosæica,  
nec evangelica, immo à scèdissimo &  
infensissimo Christi hoste inventa, ut  
non testibus, aut veracium testimonio,  
sed ferro & igne lites discutiantur. Ago-  
bardus ergo compellat benignissimum  
Imperatorem, ut è regno tam scelestam  
consuetudinem abolendam curet.

Vide Hist.  
Burgund.

*Papirij Massoni*

*VII. Volum. De Iure Sacerdotij.*

**C**ONFABVLATVR cum Coëpif-  
copo Bernardo difertè admodum,  
è Patribus multa, fed plura è Scriptura.

I. Sacerdotium effe omnium qui fide  
membra funt summi sacerdotis.

II. Et quamvis illa vox latiffimè pa-  
teat, tamen ut est vox ministerij, propriè  
pertinere ad Sacerdotes designatos, cu-  
jus initium fuit in Abele, Caïno, Noë,  
Abrahamo, ceterisq̃ue Leviticæ Tribus  
Nazaræis, sine ullo discrimine bonorum  
& malorum.

III. Quia non respicitur in sacerdote  
meritum, fed vis ministerij; non perso-  
na, fed dignitas personæ; non integritas,  
fed officium.

IV. Ita ut bonus laïcus non possit ex-  
sequi quæ malus Episcopus, nempe sa-  
cramenta & rem ecclesiasticam, sine per-  
nicie animæ, ut Oza.

V. Quæ funt Baptisma, & confectio  
corporis & sanguinis Christi &c. quæ  
cùm nec bonorum meritis, nec malorum  
fraude possint nec meliorari, nec dete-  
riorari, fed Spiritus virtute perficiantur,  
debent ab omnibus æqualiter honora-  
ri, sive à bonis, sive à malis percipiant  
sacerdotibus.

Quorum

*Synopsis Operum Agobardi.*

Quorum quatuor sunt genera. Primum, *amandum*, qui bene & vivunt & docent. Secundum, *tolerandum*, qui bene docent, & non admodum bene vivunt. & isti sunt audiendi, non imitandi. Tertium, *contemnendum*, malè viventium, & ignorantium. Quartum, *anathematizandum*, bene vel malè viventium, sed malè docentium. & illi omnino relinquendi.

*De Grandine & Tonitruis.*

**I**N VALVERAT in vulgus tetra opinio & superstitiosa de grandine & procellis, quas magum incantamentis cieri putabant. Hoc vocabant *Auram Levatitiam*. quod multiplicitate infirmat ratione argumentisque, quibus circumvolvit ejusmodi tenebriones & veneficos. 1. à turpissimo hominum mendacio, qui tribuunt homini quod solius Dei est. 2. à mendacij natura intrinseca, quo illi innitebantur. 3. à testimoniis Scripturæ. Loci Scripturæ motus tempestatum Deo tribuunt, non Mosi, non Samueli, &c. non Iamni Mambrique veneficis. Ergo falsò isti attribuunt vatibus tempestatum motus. 4. ab explicatione ejusdem Scripturæ. Nam licet Deus effundat procellas, sive per angelos, sive per Mosem Eli-

*Papirij Massoni*

seūmque, non sequitur eos à se, sed per ministerium, concitasse. 6. ab harmonia & testimonio totius universi. Omne univ-  
ersum agnoscit auctorem & motorem Deum solum. Non ergo creaturas. 7. Si boni Israëlitæ potuerunt evibrasse gradines super malos, mali quoque potuissent super bonos. quod Reges Chananeæ nunquam effecerunt. 8. Si hoc possent mali, possent infensos quosque subitis procellis obruere. 9. à natura flagellorum, corporumque cœlestium, quorum proprium est obtemperare non homini, sed auctori Naturæ. 10. à natura hominis, qui ignorat secreta æteris. 11. à pendula veneficorum fide, qui propterea nihil exorant à Deo. Et alia multa conatur à corde populi delere figmenta, jamdiu consuetudine impressa, præsertim illud quod circumferebatur de Grimoaldo Beneventorum Duce, ( qui transmissis per pulverem hominibus effecit ut boves omnes morerentur ) ut genuinum Evangelij characterem insculpat.

*Ad Fredegisum Abbatem.*

**F**REDEGISVS Abbas ista contra Agobardum asserebat dogmata.

I. Christum verè fuisse humilem, & quatenus humilem, sese errabundum cognosse.

*Synopsis Operum Agobardi.*

II. Omnem Scripturam cum omnibus Interpretibus canonicam, neque eos unquam errasse in Grammatica.

III. Sanctum Spiritum inspirasse Prophetis & Apostolis tum conceptus internos, & extrinsecus voces ipsas in ore formasse, ut asinæ Balaami.

IV. Alicubi certo loco animas esse creatas, indèque ad corpora demigrare.

V. Aliud esse Deum, aliud Veritatem.

VI. Omnes antiquos Patriarchas non fuisse Christianos; nec Christum fuisse in veteri testamento.

Responsiones Agobardi hæc sunt.

Ad I. Christum habere quidem naturam corporum nostrorum, non originem, & inde habere impeccabilitatem; ita ut licèt sese humilem reddiderit, id inclinatione miserationis, non evacuatione potestatis fecerit, abolendo peccata aliena, non confitendo propria.

Ad II. Auctoritatem Scripturæ indubitabilem, ejus nempe quæ canonica est. Ex Interpretibus, LXXII. primùm, dein Hieronymum. Aliquos explendos de Iudæis; Aquilam, Theodotion, Symmachum, Didymum. Expositores ita legantur, ut præeant Scripturæ, *non cum judicandi libertate, sed cum credendi*

*Papirij Massoni*

*necessitate* ; Expositores verò , non cum credendi necessitate , sed cum judicandi libertate. ipsos errasse in Grammatica, non malitia, nec imperitia, sed ratione condescensionis.

Ad III. Exemplo Mosis & Aaron, quorum alter Propheta vocem habuit impeditiorem quàm Aaron qui non erat Propheta : Apostolorum qui promulgant Evangelium, non in pompa eloquentiæ, sed in virtute Spiritus.

Ad IV. Quartum infirmat locis Scripturæ & Philosophiæ.

Ad V. Quintum à natura Dei, quæ nil habet divisum, sed totum est id quod est.

Ad VI. Christum non fuisse manifestum, sed sub Levitica veste à Patriarchis cognitum per fidem, Scriptura, Patribus, ratione, ab unitate Ecclesiæ, ab ortu Adami, usque ad Christum.

Vnde factum est ut quamvis essent diversa sacramenta, tamen eadem fuerit sacramentorum substantia.

Et licèt dicatur vetus & novum testamentum, non id propterea quòd sit nuper inventum, sed manifestatum omni mundo, quod delituerat sub cortice Leviticæ nubis ab origine Legis.

*Synopsis Operum Agobardi.*  
*Ad Hilduinum Vvalam Antistitem,*  
*de Baptismo mancipiorum*  
*Iudaicorum.*

**I**UDÆI, tum dolis, tum pecuniis, à Cæsare extorserant multa paci Ecclesiæ infensa; inter cetera, ut nullus Iudæorum servus absque placito Iudæi domini baptizaretur. Inde diræ procellæ inter utramq; Gentem. Agobardus rem hac epistola depingit apud nobilem aulicum, Antistitem, Cæsari gratissimum. Queritur de novitate edicti. Non permittendum his argumentis. 1. Propter insolentiam Iudæorum, qui quoslibet servos à lavacro absterrebunt. 2. Propter Dei iussum, qui vult omnes salvos, immo mancipia, quibus commune est cum omnibus naturæ & originis vinculum, & quamvis corpore mundo serviant, vult ipsos sibi obstrictos latria mentis contra omnem cogentem violentiam. 3. Quia Christus est omnia in omnibus, & per baptismum ab omni servitutis jugo liberantur. 4. Locis Scripturæ expressissimis. Tandem rogat eum, ut efficiat apud Imperatorem, aut ut edictum infringatur, aut saltem sine violentia veniendi ad fidem libertas servis concedatur.

Hilduinus  
Abbas Mo-  
nasterij S.  
Dionysij  
apud Pari-  
sium, sacri-  
que Palatij  
Archica-  
pel. Con-  
rad. Abb.  
Vspergenf.

*Papirij Massoni  
De illusionē signorum.*

**I**NGRAVESCEBAT quædam <sup>ἑπι-</sup>  
<sup>λυσία</sup>, ita ut homines quasi dæmoni-  
iaci caderent. Immo exustio quædam  
pustulacea & stigmata in corporibus ap-  
parebant. Vnde fiebat ut plebs territa  
ejusmodi plagis, more gentilitio in pro-  
pitiatiōem ejusmodi ulcerum offer-  
rent. Bartholomæus ejus iræ cœlitus de-  
missæ causam petit. Agobardus respon-  
det, hæc fieri Deo volente, & angelo  
ministrante, erudiendis fidelibus, cru-  
ciandisque reprobis; ut olim per vesicas  
turgentes & hæmorrhoides Ægyptios  
& Philistæos profligavit. multaque alia  
subjicit, quæ otio lectoris relinquimus.

*Ad Matfredum.*

**E**PISTOLA hæc nil aliud depingit  
quàm miseras sui seculi à Iudæis  
commotas, qui funditus integritatem  
morum & religionis & harmoniæ publi-  
cæ convulserant; & rogat, ut qui apud  
Imperatorem plurimum posset, ejusmo-  
di turbis mederetur.

*Ad Clerum Lugdunensem, de modo  
regiminis ecclesiastici.*

**E**XORTÆ inter Clericos Lugdu-  
næos rixæ de administranda Eccle-  
sia, movent Agobardum de scribendo

*Synopsis Operum Agobardi.*

hoc themate. Et primùm ab unitate Ecclesie, tum membrorum, tum capitis, hortatur singulos ad invicem ineundam pacem. Ejus hæc sunt axiomata.

I. Unicæ sponsæ unicum esse sponsum: qui cùm sit essentialiter veritas, pax, justitia, & omne bonum, debet propter se, non propter aliud, diligere.

II. Cujus Ecclesie membra non sunt illi qui vicissim dissident, sed qui mutuò conveniunt, & in amorem cultumque ipsius ædificant.

III. Vnde fit, ut ex illo mutuo amoris & vinculi nexu, Christus & Ecclesia vocentur agnus unus, sponsa una.

IV. Adde quòd ex illo interno & æterno connubio agni & agnæ generentur agni & oves; qui efficiunt unicum, inseparabilem, & æterno indissolubilem vinculo agnū, id est, Ecclesiam.

V. Ex illa generatione fit, ut quæ sponsa Christi vocabatur, Christi vocetur filia; quia quos simul & semel ab æterno pro sponsa duxit, eosdem singulatin & in tempore per Verbum generat. Vocatur frater propter communem naturæ & carnis consortiū cum homine.

Vinea, propter multitudinem filiorum. Hortus, propter varietatem & ve-

*Papirij Massoni*

nustatem. Fons, propter exhuberantem undiq; lympharum cœlestium copiam. Fons signatus, propter admiranda & occulta mysteria. Regina, propter imperium in Synagogam, dæmones, sectasque universas. Ancilla, propter obedientiam. Mater, propter generationem filiorum. Quæ diversitas nominum, nihil divisum, sed unum sponsum sponsamque unam efficit.

Ista unitas affectus debet avocare ab omni diffidio Clerum, ut stato muneri navet. quod est esse adjutor Dei, non Antichristi.

Eorum qui dissolvunt unitatem, multiplices sunt. Corrupti, qui aperto scandalo unitatem Ecclesiæ conturbant. Hypocritæ, simulata justitia. Adulteri, apertè & simulatè veritatem corrumpendo. Ambitiosi, honoris causa. Mercenarij, lucelli dulcedine. φιλάτοι, corda non in sponsi, sed in sui amorem laudèmq; alliciendo, unitatem Ecclesiæ abscindunt. At verus pastor, veræque pacis custos, abjicit à ministerio ejusmodi portenta, invigilat gregi, sine ignavia, sine imperio, sine simulatione, sine scandalo, pascitque eum secundum omnes formulas sibi à Cæsare cœlesti præscri-

*Synopsis Operum Agobardi.*

ptas. Ut sint tales, hortatur omnes Pastores, Presbyteros, Abbates, si velint esse membra unici capitis, & administrare Ecclesiam secundum mandata divina.

*De Imaginibus.*

**A**SSUMPTO Decalogi secundo mandato, tractat hinc ex professo Agobardus de cultu imaginum. Stupenda suo seculo imaginum erat superstitio, & circa cultum simulachrorum horrenda diffidia. Prima Nicæa præscripsit adorandas. secunda confirmat. Oriuntur rixæ toto Oriente, quæ sese diffundunt in Galliam. Congregatur Francofurti; ubi Nicæa apertis sententiis damnatur.

I. Unus Deus adorandus sine imagine &c.

II. Nullum exemplum alicubi totis testamentis patribusque adorandæ imaginis.

III. Esse debere ornamento, delectandis oculis, non instruendis populis, &c.

Illa ætate scribit Claudius Taurinensis de adoratione imaginum. Contra ipsum Ionas Aurelianensis. Plerique concurrunt in eadem materia agitanda. Reges ipsi. Agobardus apertissimè; cuius hæc præcipua sunt capita è D. Augustino ceterisque Patribus.

*Papirij Massoni*

I. Nulla est alia Dei imago, quàm hoc quod est ipse, & secundùm quod est ipse, non potest pingi, ideo neque adorari in imagine, nisi in illa quam ipse nobis præscripsit, nempe Christo.

II. Duplici quidem adoratione, externa & interna. Vtraque vocatur religio; qua internè & externè obstringimur æternùm & soli Deo; ad quam pertinent *δουλεία*, *λατρεία*, ceterique cultus, quatenus sunt nomina religionis.

Vbi verò sunt nomina officij & servitutis humanæ, *δουλεία* potest dici de servis & subditis; *εὐσέβεια*, de omnibus. Honor de sanctis & martyribus. Pietas de parentibus. At sola religio de Deo, quia soli omnino Deo debetur.

IV. Vnde patet, neque angelos, neque sanctos ullo religionis adorandos cultu, præter æternam Dei imaginem, quæ se mediam inter homines Deúmque constituit.

V. Angelos. 1. quia beati sunt beatitudine aliena. 2. quia nolunt offerri sibi ejusmodi cultus. 3. quia per hoc à dæmonibus discernuntur.

VI. Sanctos; quia non sunt sancti nisi sanctitate Spiritus, lumina nisi à summo lumine, dij nisi à Deo; aguntque mira-

*Synopsis Operum Agobardi.*

bilia, non ut causæ, sed ut media & instrumenta. ideoque relictis illis, longius ad lumen æternum devolandum.

VII. Quorum nihilominus memorias, vestigia, si qua sunt, sive in scriptis, sive in corpore, immo eorum sepulchra propter resurrectionem, vitam, imitationem honoramus. Non tamen ipsis templa aut altaria construimus, sed soli Deo.

VIII. Adorationis enim hæc lex est, ut nulla creatura, nullum phantasma à mente de Deo effectum, nullum opus humanum, nec sol exoriens, nec occidens, nec nubes, nec ignis, nec arbores, nec opera hominum, ut sunt imagines. Nam si opera Dei non sunt adoranda, quantò minùs hominum, id est, imagines Dei, angelorum, sanctorum.

IX. Neque objicias, non te imaginem, sed rem imagine effectam. Nam objectum terminat adorationem. Adde quòd fraus est Sathanæ, qui specie honoris sanctorum, ad idola mentem traducit, & à vero æterno ad carnalia nos demergit.

X. Picturæ aspectandæ, ceu res inanimatæ, oculo externo. Deus internè adorandus. Illæ, causæ historiarum, & me-

*Papirij Massoni*

moriæ, non religionis. Deus latriæ, dou-  
liæ, & sempiternæ religionis. Ille sine  
cura, sine honore, quia nec malè nec  
bene possunt facere. Deus cum spe, cum  
amore, cum honore, & gaudio sine fine.

XI. Adde quòd ut abjiciatur omnis  
superstitio, nulla imago in parietibus  
Ecclesiæ depingenda, nullum simula-  
chrum erigendum; nec illæ imagines vo-  
candæ sanctæ, quia nil est sanctum nisi  
Dei templum. i. Cor. ut adoretur unus  
& verus Deus in secula seculorũ. Amen.

*De dispensatione totius rei ecclesiasticæ.*

*Præfixus à nobis est hic titulus, ex  
mente auctoris.*

**C**ONVOCAVERAT Ludovicus Im-  
perator cœtum amplissimum Pon-  
tificiæ & Laicæ, de reformanda Eccle-  
sia. Inter ceteros præluxere ceu faces lu-  
cidissimæ, Adalardus & Elizaccharus;  
ille integritate vitæ, & fulgore muneris;  
hic doctrinæ lumine. Vnanimi anima re-  
parandum Ecclesiæ decus conclamant  
omnes. Agobardus excipit eorum ala-  
cres vultus. orat, & pro Ecclesia agit,  
convertit singulorum animos ad laban-  
tem penè Ecclesiæ gloriam. edificent,  
erigant, macerias jam subruentis Ieroso-  
lymę. Inde insilit in laicę fraudis sacrile-

*Synopsis Operum Agobardi.*

gium, qui de peculatu ecclesiastico con-  
vivunt, & rem Dei, rem sacrilegi effi-  
ciunt. Probat à primis nascentis Eccle-  
się exordiis, incrementis, accrementis,  
quibus cœpit ditari, duce spiritu, statu-  
tos canones, qui direptionem rei eccle-  
siasticę vetarent, nullique citra cons-  
cientię perniciem concederent ab illis  
canonibus discedere. Rogat Cęsarem ut  
medeatur, cœtum ut deprecetur contra  
sacrilegos Gallos. Excipitur ab Helizac-  
charo & Adalardo senibus alacriter ora-  
tio Agobardi. Monent de hac re Impe-  
ratorem: qui convocato Concilio Poli-  
ticę & Leviticę Familię, mutuas extin-  
xit discordias, quę de possidenda re ec-  
clesiastica laicos & Episcopos conturba-  
verant. Quia verò quidam erant detra-  
ctores, qui passim de audacia & ignoran-  
tia Agobardi rumores circumferebant,  
ejusque dissidij auctorem ipsum promul-  
gabant, Agobardus ejusmodi labem di-  
luit; rei veritate effigiem expressit apud  
quendam amicum, qui eum de hac re  
interpellarat. Et inde re nata captat lo-  
cum scribendi de rebus ecclesiasticis eo-  
rumque ministerio, sumptis ex utroque  
testamento testimoniis. Ejus summa ca-  
pita hæc sunt. De Sacerdotibus. De De-

*Papirij Massoni*

cinis persolvendis. De poëna sacrilegij.  
De honore omni ævo Episcopis impen-  
so. De non alienandis Ecclesiis. & perpe-  
tuas inserit calumnias contra Simonia-  
nos. Hæc omnia, quia nituntur locis,  
non rationibus, lectori do.

*Liber de divinis sententiis digestus.*

*De divinis sententiis contra eos qui putant*

*Iudicium Dei aqua vel igne vel  
armis patefieri.*

Institut.  
Iuris Ca-  
non. l. 4.  
rit. 2.  
In Histor.  
Burgund.

**T**ITVLVS huiusce voluminis non  
mihi videtur satis congruus. Quia  
hic est sensus. Duplices modi purgandæ  
fraudis occultæ & sceleris, Ferri & Ig-  
nis. Primus erat Gundebadi, qui contro-  
versias, ubi non erant testes, ferro & ar-  
mis dirimendas præcepit. Secundus, in-  
veteratæ consuetudinis. Vbi defiebant  
testes, vulgaris purgatio, nempe aquæ  
frigidæ, vel candentis ferri, adhibebatur.  
Agobardus tanquam nefandas impug-  
nat, ostendens res occultas nunquam  
patefieri ejusmodi certaminibus. Hortat-  
ur ad pacem, & totam ferè Ethicam  
Christianam complectitur.

*Sermo Agobardi.*

**H**ÆC Concio est lepidissima, varia,  
& divinis figuris circumlucida.  
Habet pro materia Christum. Sed ab illo

*Synopsis Operum Agobardi.*

capite in varias sese diffundit & exspatiatur arenas: De Ecclesia, de ejus meritis, de Antichristo. Quæ quia sunt paulò ἀμεστοιχὰ, relinquo.

*De Divisione Imperij.*

**I**MPERII pacis sedulus, memorque Lancipitis vitæ exitus, convocato totius Galliæ conventu Ludovicus Imperator in tria regna discerpfit Imperium, summamque Lothario contulit; adhibitis omnium juramentis; ut moris est, fidelitatis & obedientiæ. Desciscit Lotharius, patrem invadit. Favent Ecclesiastici huic Imperatori, cujus obsequiis juramento sollenni fuerant constricti. Quibus cum pater vellet pœnas infligere, Agobardus audacter respondet, eum fuisse illius tumultus & dissidij publici causam, eò quòd divisisset Imperium; & quod est audacius, profitetur apertè se obsequuturum Lothario, propter vinculum juramenti &c.

*De comparatione utriusque regiminis.*

**D**VÆ hîc continentur epistolæ ejusdem argumenti. Prima ad Cæsarem Ludovicum, qua noster Episcopus obtendit causas fugæ & moræ. Propter publicos tumultus. Inde insilit in fastigium splendoris imperialis, quod probat

*Papirij Massoni*

subesse Pontificiæ majestati, tum ex auctoritate Canonum, tum quibusdam Latinorum Patrum testimoniis. & ideo monet, ut venientem in Galliam Gregorium Pontificem, mediatorem pacis domesticæ, benignè excipiat, eique humillimè sese subjiciat.

Secundæ sensus est ejusmodi. Defectio Lotharij abriperat omnem penè Italiam, Pontificem, multosque etiam Episcopos Gallos, quorum ope patri eriperet Imperium. Veri Galli recalcitrant, citant Agobardum. recusat. Habent conventum; cujus hæc fuerunt capita adversum ipsius contumaciam, pro confirmanda Gallicana Libertate.

1. Episcopum Romanum, vocandum Papam, Fratrem, non autem Patrem, neque Pontificem.

2. Imperialem majestatem plus posse in administranda Ecclesia, quàm Pontificiam.

3. Cæsarem non dehonestandum præsumptuosa excommunicatione.

4. Posse unum aliquem Pontificem abjici sine injuria Sedis Apostolicæ.

5. Episcopos in causa fidei jusjurandum præstare solitos Imperatori.

6. Agobardum Primatem Aquitaniæ nullam

*Synopsis Operum Agobardi.*

nullam deinceps habiturum potestatem in excommunicando, nullamque jurisdictionem in ceteras parochias, si obediret potius Pontifici, quam Cæsari.

7. Privandum Episcopum consortio & honore, qui potius Pontifici quam Ecclesie Gallicane Concilio obedierit.

Agobardus ex professo respondet singulis. Confringit quantum potest ista privilegia, propter commune factionis cum Pontifice & Lothario consortium. Nititur probare Cæsarem & Ecclesias Gallicas pendere à Cathedra. Deinde conjicit omnes turbas & æstus flagrantés Imperij, tum in inertiam Ludovici, tum in occultas fraudes Reginarum quibus ipse nupserat. Audacissimè favet consilio Lotharij, quo erga novercas usus fuerat. Tandem concitat ejus animum ad pœnitentiam & humilitatem, ut deinceps resipiscendo res Imperij sit securior.

*Publica Ludovici Imperatoris pœnitentia.*

**R**E BVS pacatis, publico conventu compellitur Ludovicus Imperator, propter vitæ antea actæ luxuriam, inertiam, ignaviam, ad publicam pœnitentiam. Agnoscit, orat veniam, ad altare prosternitur; tērque quaterque

*Papirij Massoni*

que confessus, fluens lachrymis, depositis armis, sceptroque, suscepit poenitentiam per manuum episcopaliū impositionem &c.

*De Veteri ritu cantandi Psalmos in Ecclesia, & de Correctione Antiphonarij. Hæc duo capita non erant disjungenda, sed in unum componenda, quia eandem prorsus materiam tractant.*

**E**RVPIT Lugduni Sectarius quidam, qui miras in ritus ecclesiasticos calumnias invexit, nævis aspersit, & hæc sunt.

1. Ecclesiam Lugdunensem à germano cantandi ritu deviasse.
2. Antiquos patres in carmine solitos modulari.
3. Nullam esse rationem cur nocturnæ fiant vigiliæ.
4. Multa esse alia cantica quæ non habentur Scripturis.

*Quibus quoque in suo Antiphonario & Responsorio hæc adjecit blasphemias & portenta.*

5. Christum de cælo advexisse humanam naturam.
6. Duas naturas commisceri in unam.
7. Homines suscepisse Christum,

*Synopsis Operum Agobardi.*

quem antea naturali motu cognoverant & desiderarant.

8. Christum per aurem Virginis in locum partus subrepisse.

Agobardus singula confutat.

Ad 1. Ecclesiam Lugdunensem firmiter inhæsisse Statutis Leviticæ & Apostolicæ Legis, ideóque non posse oberrare.

Ad 2. Ecclesiam veterem magnopere respuisse modum canendi poëticum.

Ad 3. Diurnas & nocturnas vigiliis in choro Levitico à Davide constitutas.

Ad 4. Scripturam adeo perfectam, ut nil illi adjiciendum, neque detrahendum, sed in eis quæcunque reperiuntur canenda, reliqua verò non.

Ceteraque ejusmodi portenta facili via discerpit, restituto omnimodo & Antiphonario & Responsorio in pristinam lucem.

ET HÆC sunt capita doctrinæ Agoberticæ, clara sanè, abstrusa, & omni venustate fulgida. Quibus fruatur lector.



\*~~~~~\*

ELENCHVS OPERVM IN DVOBVS  
voluminibus Agobardi contentorum.

---

IN TOMO PRIMO.

|                                                      |         |
|------------------------------------------------------|---------|
| <b>L</b> iber adversum dogma Felicis.                | Pag. 1. |
| Liber de insolentia Iudæorum.                        | 59.     |
| Liber de Iudaïcis superstitionibus.                  | 66.     |
| Liber de baptismo Iudaïcorum mancipiorum.            | 93.     |
| Epistola ad Nibridium Episcopum Narbonensem.         | 102.    |
| Liber adversus legem Gundobadi.                      | 107.    |
| Liber de privilegio & jure sacerdotij.               | 122.    |
| Liber de grandine & tonitruis.                       | 145.    |
| Liber contra objectiones Fredigifi Abbatis.          | 165.    |
| Epistola ad Proceres Palatij.                        | 192.    |
| Epistola ad Bartholomæum Episcopum Narbonensem.      | 197.    |
| Epistola ad Matfredum Procerem Palatij.              | 207.    |
| Epist. ad Lugdunenses, de modo regim. ecclesiastici. | 210.    |
| Liber de imaginibus.                                 | 221.    |
| Liber de dispensatione ecclesiasticarum rerum.       | 268.    |
| Liber contra Iudicium Dei.                           | 301.    |

IN TOMO SECVNDO.

|                                                                     |         |
|---------------------------------------------------------------------|---------|
| <b>L</b> iber de fidei veritate.                                    | Pag. 5. |
| Agobardi flebilis epistola.                                         | 42.     |
| Liber de comparatione utriusque regiminis.                          | 48.     |
| Epist. Gregorij IV. ad Episcopos Regni Francorum.                   | 53.     |
| Liber Apologeticus pro filiis Ludovici Imperatoris adversus patrem. | 61.     |
| Cartula porrecta Lothario in synodo Compēdiensi.                    | 73.     |
| Epistola ad Ebbonem Episcopum Remensem.                             | 76.     |
| Liber de divina psalmodia.                                          | 80.     |
| De Correctione Antiphonarii.                                        | 85.     |
| Liber adversus Amalarium.                                           | 101.    |
| Agobardi Carmina.                                                   | 120.    |
| Epistolæ Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis.                        | 125.    |
| Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis Epistolæ.                        | 135.    |
| Ejusdem opuscula.                                                   |         |
| Sententiæ sancti Augustini, ab Amulone collectæ.                    | 183.    |
| Flori Diaconi Lugdunensis liber de Electionibus Episcoporum.        | 254.    |
|                                                                     | SANCTI  |



SANCTI  
AGOBARDI  
ARCHIEPISCOPI  
LVGDVNENSIS  
LIBER

*ADVERSVM DOGMA FELICIS  
Episcopi Vrgellensis.*

*Ad Ludovicum Pium Imperatorem.*

**C**H R I S T I A N O R V M religiosissimo, benignorum benignissimo, mansuetorum tranquillissimo, Christi amatori, ideoque victori ac triumphatori piissimo Augusto, Domno gloriosissimo Hludovvico Imperatori, Agobardus quidam ex ultimis fidelibus servulis vestris, subterannexum opusculum sincerissimo ac subtilissimo sacroque acumini prudentiae vestrae dijudicandum direxi: quod edidi vel potius collegi adversus novam, immo ex veteri redivivam, haeresim, propter quosdam, quibus illud expedire putavi, sicut ibi latius continetur.

A

Pie igitur rector & domine, caput orbis, decus mundi, catholicorum omnium insignis gloria, qui inlustratis fidem, propagatis & pacem, obsecro mansuetudinem vestram, ut in contemplationem filij Dei, qui vestrum iuvat imperium, præfatum opusculum perlustrare non dedignemini, ut vestro acerrimo ingenio probeatur, aut improbetur. Quia si probatur, illis, quibus profuturum est, ad legendum commendatur; si autem improbat, auctor ejus per vos emendatur. Apostolica namque doctrina omnes hortatur crescere in cognitione Domini nostri IESU CHRISTI, omnes jubet paratos esse ad satisfaciendum eis qui rationem poscunt de ea quæ in nobis est spe. Sacerdotem quoque esse vult amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quod si semper sectandum fuit, quanto magis nunc, quando jam propinquum esse cernimus tempus illud de quo Dominus loquitur: *Veruntamen veniens filius hominis, putas inveniet fidem super terram?*

1. Petr. 3.

Tit. 1.

Luc. 18.

I. **P**OST obitum Felicis illius qui fuerat quondam Episcopus in sede Orgelletana, inventa est à nobis quædam scedula ab eo edita sub specie interrogationis & responsionis: quam cum legentes considerarem, inspeximus hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore

episcopatus depositus. qui licet aliqua verba, quæ prius imprudenter efferebat, postea suppresserit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit. Quam scedulam ego, ut potui, juxta veritatem fidei cum reprehendissem, vel reprehendendam publicassem, quidam ex fratribus, ut comperi, indignè tulerunt; & non perversitate animi, ut puto, sed simplicitate ingenij, arbitrati sunt me non id fecisse zelo fidei, sed zelo invidentiæ; sicut moris est eorum qui inanis gloriæ cupidi, idcirco bonis detrectant, ut se illis superponere nitantur; & si detractionibus obtinuerint ne illi admirentur, isti admirationis gloriam consequantur. Et quoniam non desunt inter nos tales quibus necesse sit & integritatem fidei cognoscere, per quam valeant malum perfidiæ declinare, & rectis judiciis obtemperare, ut mereantur in dogmate pietatis proficere; opportunum putavi ea quæ prædictus vir malè sensit, exaggeranda adsumere, & verbis ejus, in quibus à veritate fidei excessit, sanctorum Patrum sententias opponere; ut quisquis dignatus fuerit legere, agnoscat qua cautela catholicæ veritatis purissimum sensum sequatur.

II. Non ego hoc doctis & eloquentibus viris, qui cuncta hæc optimè dijudicando, probanda aut improbanda demonstrare sufficiunt, dico, qui forsitan nec dignabuntur legere hoc opus, rustica simplicitate compositum; sed meis similibus, quibus verè scio expedire ut fidem suam subtilissimè corrigant; qui incautè admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putant cuncta quæ dixit; nescientes quia non ex

vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita. Quanquam enim multi bene credentes, malè vivendo pereant; nullus tamen malè credens, bene vivendo salvatur. Solius enim omnipotentis Dei est nosse occulta hominum, vel quis cum reprehensibili vita humilem mentem gestet, aut quis cum laudabili vita superbam. Neuter enim perfectus est. Sed quis è duobus magis auctori displiceat, illi soli suppetit nosse. Scimus namque quia qui infirmitatis suæ bene sibi sunt conscij, sanctos se esse, etiamsi ab alijs dicantur, non credunt. Qui autem propter bonam conversationem, dum laudantur ab alijs, sanctos se esse confidunt, & idoneos se putant ad judicandum ceteros, & alios quidem propter vitam carnalem, alios autem propter fatuitatem sensus despiciunt, omnibus tamen in commune detrahunt, non possunt illi placere qui dixit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Qui autem verè placere Deo curat, subiciat animam suam Deo cum omni humilitate. Fides est enim prima quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi; quibus custoditis, spes nostra firmatur, & nutritur caritas. Cùm ergo cognitio & actio beatum hominem faciant; sicut in cognitione vitandus est error, ita in actione cavenda est nequitia.

Math. 11.

III. Quamobrem obsecro dilectionem vestram, quibus hoc opus necessarium esse dico, non vobis inicianit fastidium verba simplicia; sed potiùs delectet vos puritas fidei. Quoniam in verbis differentium, ut quidam Patrum ait, veritas amanda est, non verba. *Quid enim pro-*

dest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil querimus, nisi patere quod clausum est?

Qui autem omnino dedignatur legere nostra, habet hic sufficienter sanctorum Patrum sententias adnexas, quibus conferat sensum Felicis. Tantum non negligat ad earum regulam fidem suam purificare: quia, ut beatus Athanasius ait, *fidem catholicam nisi quis integram in-violatamque servaverit, absque dubio in eternum peribit.* Et ut alius Doctor dicit, *sicut virginitas carnis, corpus intactum est; ita virginitas anime, fides incorrupta.* Ait etiam: *Sic est veritas Christus, ut totum verum accipiatur in Christo, verum Verbum Dei, Deus equalis patri, vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, vera passio.* Si aliquid hinc dixeris falsum, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum, & nihil integrum remanebit. Quia ubi fuerit falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit. Valent autem multum ad perpendendam subtilitatem veritatis, quæ dicturus sum in hoc loco; si tamen competenter valuissem explicare quæ dico.

IV. Nestorius hæreticus sic duas naturas in unico filio Dei Domino nostro IESU CHRISTO dividit ac separat, ut in disputatione dogmatis sui sic de uno quasi de duobus loquatur, quasi alium suspicans Deum Verbum, alium Emmanuel, licet plerunque unam horum fateatur personam. E contrario autem Eutyches in dogmate suo sic de unici filij Dei loquitur singulari persona, quasi de una substantia. Et quam sempiternam divinitatis ejus nativitatem

August. de  
Doctr. Chr.  
stian. l. 4. s. 11.

August. in  
Psal. 147.

Idem Tracta-  
tus 8. in Evan.  
Ioan.

confiteatur, temporalem quoque humanitatis non neget; ita tamen utramque substantiam permiscet atque confundit, ut unam tantummodo prædicare intelligatur. Cùm ergo utrumque, id est, Nestorium, & Eutychem, veritas fidei abiciat, quæ medium inter eos tenet locum; beatus Cyrillus, ejusdem veritatis defensor, Alexandrinus Antistes, dum vellet corrigere pravitatem Nestorij, propter obscuritatem verborum, utpote subtilissimæ rei, offendit beatum Iohannem præfulem Antiochenæ Ecclesiæ, & eos qui cum illo erant; factaque est divisio inter Antiochenam & Alexandrinam Ecclesiam. Rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyrri Episcopus, ut ageret adversùm beatum Cyrillum. Et mirum in modum, dum utrique essent catholici, id est, & Antiocheni, & Alexandrini, beatus Cyrillus dum putatur esse hæreticus, quod non erat, inventus est à Theodoro inter Nestorium hæreticum & Cyrillum catholicum medius locus unde idem Theodoretus pugnans pro veritate, ageret contra veritatem; qui dum istis catholicis placeret, illis displiceret. quod tamen, Deo auxiliante, Iohannis & Cyrilli industria correctum est.

V. Hæc itaque idcirco ad medium deduxi, ut quàm subtiliter, quàm humiliter, quàm veraciter, quàm timidè fidei veritas inquirenda sit, sollicitè perpendamus. Igitur antequam de eis quæ prædictus Felix scripta reliquit disputemus, præmittendum video, quomodo proprijs verbis quibusdam, adhuc vivens, aliqua improbanda persuadere conatus est. Cœpit aliquando,

ADVERSUS FELICEM. 7

ut dixi, quosdam docere, ut crederent Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, secundum carnem veraciter nescisse sepulchrum Lazari, cum diceret sororibus ejus, *Vbi posuistis eum*, & veraciter ignorare diem Iudicij, veraciter etiam ignorasse quid conferretur à duobus discipulis ambulantibus in via de his quæ facta fuerant in Hierusalem, veraciter quoque ignorasse utrum plus diligeretur à Petro, quam ab alijs discipulis, cum diceret, *Simon Petre, amas me plus his?* Hoc ut cognovi, accessi ad eum coram ipsis quibus ista suadebat, & interrogavi eum, utrum ita prorsus sentiret. Quod cum confirmare tentaret, objurgavi eum, & detestatus sum pravos sermones ejus; ostendique, ut potui, ceteris qua custodia ista repudiarent, & quo sensu loca illa Scripturarum intelligere deberent; ipsique Felici sumptas sanctorum Patrum sententias, quæ blasphemias ejus contrarent, legendas direxi. Quibus lectis, promisit se omnis emendationis diligentiam sibi adhibiturum. Propter quam rem silenter eum dimittens, non putavi necessarium esse easdem blasphemias ejus in externos publicandas, quia nec ad me pertinebat.

Ioan. 11.

Luc. 24.

Ioan. 21.

VI. Post mortem verò ejus, cognovi per quosdam fideles fratres, qui ab illo audierant, quòd dixerit Deum Dei Patris filium nullatenus dici debere passum, aut crucifixum, sed ab eo hominem assumptum; confirmare hoc nitens exemplo Isaac, qui à patre ductus ad immolandum, non ipse sed aries pro eo est immolatus; tanquam in Isaac figuratus fit filius Dei, & in ariete filius hominis. Hæc autem faciebat

Genes. 22.

sæpeditus Felix, quia nullatenus adquiescebat sentire, nec suadere sibi ita valebat, ut crederet in uno Domino nostro I E S U C H R I S T O duarum naturarum unionem substantialiter factam, & Deum Verbum secundum subsistentiam carni unitum; sicut liquidò in consequentibus ex verbis illius apparebit. Contra quæ & nos obviantia sibi testimonia sanctorum Patrum, Deo auxiliante, posituri sumus. Timens enim permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in divisionem Nestorij. Sed quia eum, de quo sermo est, corruisse diximus in Nestorij pessimam divisionem, opportunum puto esse in hoc loco ponere sententias Nestorij, antequam ad hujus dicta discutienda veniamus; ut prudens lector cognoscere valeat quam consona Felix Nestorio senserit, & ubicunque malè utramque in uno Domino dividit substantiam, & confugit iterum quasi ad unitatem personæ dicendo, *Unus tamen in utroque, non duo,* quantum & in hoc eundem Nestorium imitetur.

VII. Nestorius dicit Dominum, [ Spiritus sancti virtute in virginis vulva formatum, factum ex muliere, & factum sub lege, ut omnes nos à servitute legis redimeret; antè jam prædestinatum, adoptionem accipientem, inenarrabiliter sibi vivens, mori quidem eum secundum legem humanam faciens, suscitans verò ex mortuis, & perducens in cælum, & confedere faciens ad dexteram Dei, unde super omnes constitutus principatus, & potestates, & virtutes, & dominationes, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, verum

etiam & in futuro, ab omni creatura accepit adorationem, sicut inseparabilem à divina natura habens copulationem, relatione Dei & intelligentia omni creatura adorationem exhibente. Et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos; quoniam unus filius Patris secundum Verbum Deus unigenitus filius Patris, sicut iste conjunctus & particeps constitutus filio communicat nomine & honore, Dominus secundum essentiam, Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque duos Dominos; quia manifesto constituto secundum substantiam Domino & Filio, inseparabilem tenet ad eum copulationem, qui causa nostræ salutis assumptus confertur nomine & honore filio & Domino; non sicut unusquisque secundum seipsum constitutus est filius, unde & multi secundum beatum Paulum dicimur filij; sed solus præcipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptionem, & dominationem participans, auferens quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & Dominorum, præstato verò nobis in copulatione ad Deum Verbum omnem haberet ipsius fidem & intelligentiam & theoriam, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni suscepit creatura. Vnum igitur filium dicimus & Dominum IESUM CHRISTUM, per quem omnia facta sunt, principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter filium Dei.] Iterum idem Nestorius: *Si quis eum qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius Nobiscum Deus, hoc est, inhabitasse eam quæ secundum nos*

est naturam, per id quod unitus est nostra quam de Maria virgine suscepit, & post aliqua subiecit, *anathema sit*. Item ipse: *Si quis unum esse post adsumptionem hominis, naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit*. Item ipse: *Si quis post incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit, & post pauca subjunxit, anathema sit*. Et item: *Si quis hominem qui in virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, & post pauca subjunxit, anathema sit*. Ecce habes sententias Nestorij: quas si & in conjunctione personæ, & in divisione naturarum, verbis Felicis conferas, inuenies eos uno sensu incedere.

VIII. Videtur mihi etiam vestra caritas commonenda de hoc quod Felix frequenter gaudet dicere *hominem adsumptum, vel formam servi*. Quanquam enim & piè dici possit, sicut & frequentissimè dictum à sanctis Patribus inuenitur; tamen considerandum est quòd etiam impiè dici possit, secundùm quod in Nestorio hæc verba nostris displicuerunt. Ad quod B. Cyrillus ita respondit: *Nos quæ meliora & veriora sunt sapere consueti, & subtiliores contingentes intellectus ad explanationem sacramenti, scientiamque perfectam, & secundùm sacrarum placitum litterarum, & mansuetudines sanctorum Patrum, non hominem adsumptum dicimus à Deo Verbo, & copulatum ei secundùm habitum extrinsecus, sed potius hominem factum esse decernimus. Hac itaque gratia à pietate dogmatum dicimus excessisse eos qui præsumunt dicere adsumptum hominem, & adfirmant oportere eum sicut alterum alteri coadorari filio Dei*. Item ipse: *Factus est igitur*

Cyillus in defensione xii. Anathem. aduersus Theodoretum, cap. 7.

tur homo, non adsumpsit hominem, sicut Nestorio placet. Et ut crederetur quia factus est homo, manens quod erat, videlicet Deus, juxta naturam; idcirco & esurire dicitur, & ex itineris labore lassessere, & cetera.

IX. Dixit itaque Felix in suprascripta sua scedula, post aliqua quæ præmiserat, quasi interrogans: *Deus pater omnipotens, voluntate genuit filium, an necessitate?* & respondit: *Quantum ad divinitatis ejus essentiam pertinet, neque voluntate, neque necessitate, sed natura. In vero quippe filio de substantia patris genito, voluntas nativitatem præire non potest, ubi natura præcedit. Sed neque necessitate, quæ in Deo utique non est. Quantum verò ad humanitatis ejus substantiam convenit, eundem filium suum, quia non ex semetipso genuit, sed de substantia matris virginis creavit, & nasci voluit, ob hoc, voluntate propter redemptionem nostram, non qualibet necessitate ejus filius creditur.*

X. In hac sententia Felix primùm ex interrogatione superflua & vana, qua interrogat utrum voluntate an necessitate genuerit Pater filium, occasionem sibi parat perveniendi ad id quod malè sentit, & loquendo explicare non audet. Dicendo namque, *In vero quippe filio de substantia patris genito*, ita dividit divinitatem ab humanitate in Domino, ut eam in sola divinitate dicat verum filium, in qua & de patris substantia est genitus; juxta humanitatem autem, in qua & dicit illum de substantia matris virginis creatum, sentiat eum non verum, licet loquendo explicare non audeat. Apparet enim hæc fraus in eo quòd sic de substantia divinitatis

loquitur, quasi de alia persona præter humanitatem. Dicens namque de sola divinitatis substantia, *In vero quippe filio*, vult demonstrare non eum esse in utraque substantia verum filium. Quod autem interponit dicens, *Voluntas nativitatem præire non potest ubi natura præcedit*, apertissimum mendacium profitetur. In omnipotente enim & sempiterno Deo omnia sempiterna sunt; neque ei qui fecit tempora, aliquid accessit ex tempore. Naturæ enim quæ initio caret & incremento non indiget, quod est habere, hoc esse; & quod est esse, perpetuum est; & sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Non ergo in illo natura præcedit voluntatem, neque voluntas consilium, neque consilium verbum; quia sicut nunquam fuit sine verbo, ita nunquam fuit sine sapientia, sine consilio, sine voluntate, vel quicquid de Deo veraciter dici potest.

XI. Nos autem Dominum nostrum, unicum filium Dei, sicut verum Deum confitemur, ita & verum filium credimus; quia non est alter ex patre, & alter ex matre; licet aliud sit divinitas, & aliud humanitas; sed idem ex utroque unus & verus, beato Cyrillo nos ita docente: *Vnus ergo filius, unus Dominus Iesus Christus, & ante incarnationem, & post incarnationem. Non enim alter est filius Verbum Dei Patris, & alter iterum qui de sancta Virgine natus est; sed idem ipse qui est ante secula Deus, etiam secundum carnem ex muliere creditur editus. non quod ex ea initium deitatis ejus acceperit ut sit, aut subsistendi principium de sancta Virgine sumpserit; sed potius, ut dixi, quod Verbum subsistens ante*

secula, secundum carnem dicitur ex ea progenitum. Propria enim facta est ejus caro, sicut & singulis nobis est proprium corpus.

XII. Quod autem totus verus Deus creditur, ita ipse beatus Cyrillus docet: Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem genuisse eum carnaliter, carnem factum ex Deo Verbum, anathema sit. Et iterum: Dicimus autem carni animam habenti rationalem unitum Verbum, sed ultra mentem, & ineffabiliter, & sicut solus ipse novit. Ergo permansit Deus & in adsumptione carnis, & est unus filius Dei & Patris Dominus noster Iesus Christus; idem ipse & ante omne seculum & tempus, secundum quod intelligitur Verbum & splendor substantie ejus, & in novissimis temporibus dispensativè homo propter nos. Item ipse: Factus est caro ex Deo Patre Verbum, non per transitionem aut conversionem sue nature, sed propriam faciens carnem ex sancta Virgine sumptam, unusque & idem appellatus filius, ante humanationem quidem sine carne adhuc Verbum, post inhumanationem verò idem incorporatus. Item ipse: Nestorio igitur ubique perimente Dei verbi secundum carnem nativitatem, & solarum nobis dignitatum unitatem introducentem, hominemque Deo copulatum dicentem filiationis homonymiâ, hoc est, univocatione honoratum; necessariò nos dictis illius repugnantes secundum subsistentiam unitatem dicimus factam; hoc secundum subsistentiam, nihil aliud declarantes, nisi quòd sola Verbi natura sive subsistentia, quòd ipsum Verbum humana nature secundum veritatem unitum, sine

Cyrillus  
Anath. 1.

Idem in De-  
clar. xii.  
Anathem.

Idem in Def.  
xli. Anath.  
adversus  
Theodor.  
cap. 2.

ulla conversione atque confusione, sicuti saepe diximus, unus intelligitur, & est Christus, idem Deus & homo. Item ipse: *Vnum atque eundem adorantes; quia non alienum corpus à Verbo, sed ei magis est proprium, cum quo consedet Patri; non sicut duobus filiis consedentibus, sed sicut uno cum carne propter unitatem. Si verò subsistentialem unitatem recusamus, irruimus ut duos filios predicemus. Necessesse est enim cuncta dividere, & dicere hominem quidem specialiter filij predicari, & rursus specialiter Deum Verbum filij nomen atque appellationem naturaliter habere. Non ergo in duos filios unus Dominus Iesus-Christus dividendus est. Nullo modo enim oportet rationem recte fidei sic habere, sed nec personarum unitatem, sicut aliqui opinantur. Item: Processit homo ex muliere, Deus esse non desinens, & ex Deo patre esse progenitus, sed in adsumptione carnis, quod fuerat perseverans. Istud adlegat ubique subtilis fidei ratio. Item ipse: Cum scriptura divinitus inspirata unum dicat filium, atque Dominum. Quocirca post ineffabilem unitatem, si Deum nomen Emmanuel, incarnatum & hominem factum intelligimus nos ex Deo Patre Verbum. Sive hominem dicas, nihilominus illum ipsum in mensuris humanitatis participatum dispensative cognoscimus. Factum verò dicimus palpabilem qui impalpabilis est, visibilem qui invisibilis est. Non enim fuit extraneum ei unitum ipsi corpus, quod etiam dicimus esse palpabile & visibile. Qui autem ita non credunt, distinguunt autem, sicut dixi, subsistentias post unitatem, & puram eis copulationem subintelligunt secundum solam dignitatem sive auctoritatem, alienat eos ab his qui recte*

*sapere consueverunt præsens anathematismus.*

XIII. Interrogat Felix, *Vtrum Maria Virgo Deum & hominem, sicut pariter, ita & similiter genuit; an aliter genitrix deitatis, & aliter humanitatis esse credatur.* Respondetq; sibi metipsum dicens: *Licet eadem gloriosa Virgo Dei & hominis genitrix fideliter credatur, aliter tamen Dei genitrix, & aliter hominis rectè profitetur.*

XIV. Ad hæc verba nos respondemus, quòd non solum sint blasphema, & omni odio digna, verum etiam nova & inaudita. Quomodo enim aliter Dei genitrix, & aliter hominis esse potuit? Certè Deum genuit incarnatum, cui uni uno est modo genitrix, non duobus; eo scilicet quo Deus in illa & ex illa factus & natus est homo. Nec est usus catholicus, hominis eam genitricem nominare, sed semper Dei genitricem. Si Deus homo factus, ex illa natus est, duobus utique modis non est natus. Nam si duobus modis nasceretur, duabus & vicibus nasceretur. quod dici nefas est. Immo si aliter Deus ex ea, & aliter homo natus est; duo sunt, alter Deus, & alter homo, id est, non idem Deus qui homo, nec idem homo qui Deus. Nestorius hæreticus, qui ita sensit, non dixit Deum ex Maria natum, sed hominem ex semine David. Iste autem, si catholicus esset, unum eundemque esse & Deum & hominem, & unum uno modo, & semel tantum natum crederet. Si autem esset Nestorianus, aut Paulianista, sive Photinianus, solum hominem crederet ex ea natum, & semel tantum. Nunc autem quia dicit sanctam Virginem aliter Dei esse genitricem, & aliter hominis, ego puto quia sicut nec usitato more loqui-

tur, ita nec catholico. Certè catholici prædicant Dominum nec in divinitate habere matrem, nec in humanitate patrem. Iste autem quæ ratione sequestrando ab humanitate divinitatem, aliter eam Dei, & aliter hominis genitricem esse credit, & hîc ex parte aperit dicendo, *Natura quippe humanitatis adsumpta propriam eam esse genitricem, Dei verò matrem gratia & dignatione divinitatis factam, & in subsequen- tibus & peius & evidentiùs patefaciet, ubi & nos oportuniùs ad ista responsuri sumus.*

XV. Nunc autem quia aliter Dei & aliter hominis eam genitricem dicit esse, cùm nunquam fuerit usus in ratione fidei hominis eam genitricem nominari, quippe cùm nec mirabile sit, cùm certè omnium hominum matres hominum genitricem sint, illa qualiter hominis facti, id est, Verbi caro facti genitrix prædicetur, ex sanctorum Patrum sententiis audiamus. Ait namque præcipuus ille expugnator Nestorianæ impietatis doctissimus & beatissimus Cyrillus: *Affirmamus igitur ex Deo Patre Verbum in adsumptione factum, sanctæ & animatæ carni unitum, secundum veritatem inconfusè ex vulva ipsa processisse hominem, permansisse autem etiam secundum Verbum. Ideòque & Dei genitrix est sancta Virgo. Superfluum autem arbitror oportere existimandum, & hominis genitricem eam dici. Siquidem essent aliqui ex multa nimis vassania, qui dicerent Dei Verbi naturam, fontem velut quendam & propriæ essentia principium habuisse carnem. Fortè fuisset aliquando non absurda & contemnenda ratio volentibus eam etiam hominis nominari oportere genitricem. Quia verò abominabili*

nabilis & odiosa quidem apud omnes est huiusmodi sententia, intelligiturque non aliter Dei genitrix sancta Virgo, nisi primò suscepit quiscquam fidem, hoc est, quia factus est caro, hoc est, homo Verbum ex Deo Patre. Non enim quodammodo divinitatem nudam, sicuti dixi, peperit Virgo. Quae huius instantiae videtur utilitas dicentium oportere nominari eam & hominis genitricem. Sed, sicut apparet, inventa quaedam ab eis est contra Christum haec machinatio. Non enim patiuntur sapere, vel dicere ipsum qui ex Deo Patre est ante secula filius, in novissimis seculi temporibus inconfuse, inconvertibiliter ex vulva unum carni animam habenti rationalem, sicque factum nostrum secundum hominem.

XVI. Iterum post aliqua interrogando Felix quærit, Vtrum Christus Dominus in utraque natura similiter sit filius Dei, an dissimiliter. & subjungit respondendo, non similiter, sed dissimiliter. Quærit deinde, quo ordine id fiat. & respondendo affirmat dicens: *Quia sicut in se continet duas naturas, id est, divinitatis suae, & humanitatis nostrae, ita duobus modis unus creditur Dei filius.* In quo loco obsecro & ammoneo lectorem, si tamen fuerit qui legere dignetur, ut penset attentè quod dicitur. Suprà dixit sanctam Virginem aliter Dei esse, & aliter hominis genitricem. Nunc dicit duobus modis esse filium Dei Dominum nostrum, & in ipsis dissimiliter. Ecce quatuor modi, & inter se dissimiles, quibus dicit Dominum esse filium Dei patris, & hominis matris. Forsitan qui plura quàm ego legit, invenit aliquid huic rei simile. Ego tamen neque in catholico neque in

hæretico dogmate hujuscemodi rem legisse me  
novi. Sed inspiciamus & sequentia, utrumne ad  
istos quatuor modos & alios plures augeat.

XVII. Interrogat itaque Felix dicens, *Pro-  
sequere quibus subauditur modis.* & responde-  
do subjungit: *Secundum divinitatis essentiam  
natura, veritate, proprietate, genere, nativitate  
atque substantia: juxta humanitatem vero non  
natura, ait, sed gratia, electione, voluntate, placi-  
cito, prædestinatione, assumptione, & cetera, in-  
quit, his similia.* Ecce dum quatuor prædicare  
modos nativitatis dominicæ, duos ex matre vir-  
gine, duos ex patre Deo, inventi jam sunt duo-  
decim, sex videlicet ex patre, & sex ex matre.  
Qua autem faciat intentione, bene consideran-  
tibus perspicuum est, videlicet quia cuncta qua  
nativitati divinitatis tribuit, humanitati adimit.  
Quod si propterea fecisset, ut ostenderet aliud  
esse humanitatem, aliud divinitatem, haberet  
profectò faciliorem & usitatiorem loquendi po-  
ternum modum, quo id ostendere potuisset  
quem si secutus fuisset; nec nova diceret, nec  
mendacium incurreret. Dicendo namque secun-  
dum divinitatis essentiam veritate esse filium, &  
proprietate, & ceteris quæ ibi conjungit; vult  
eum esse secundum humanitatem nec verum  
nec proprium, sed è contrario omnia.

XVIII. Sed quia hæc in subsequentiis ma-  
nifestiùs aperit, intueamur nunc quare eum  
vult juxta humanitatem esse filium Patris, non  
natura, non nativitate, non genere, non veritate;  
sed gratia, electione, voluntate, placito,  
prædestinatione, assumptione. Quicumque igitur  
antiquos illius errores cognovit, quid &

nunc utique velit cognoscit. Dixerat namque Dominum nostrum IESVM CHRISTVM secundum humanitatem adoptivum esse filium Patri. Et quia licet & alia adhuc peiora diceret & sentiret, nescio qua existente causa de solo adoptionis nomine discussus est, quod & compulsus est negare convictus, & non solum ter aut quater, sed multoties de hoc convictus, coactus est ad negandum hoc quod pravè ausus fuerat docere. Sed quia id ex intimo cordis sui sensu & prompta voluntate non fecit, arbitratus est apud semetipsum bene se priùs sensisse, & postea malè negasse. Ac per hoc quia illic trepidavit timore, ubi non erat timor, idcirco in his suis litteris nunc elaborat, ut ostendat Dominum secundum humanitatem, nec verum Deum esse, nec verum filium Dei, nec proprium. Sed quia contra hæc omnia sententias sanctorum Patrum, Deo adjuvante, opposituri sumus, per quas dinosci valeat in quantum à catholica veritate discesserit; nunc sequentia ejus verba ponamus, ut tota illius pravitas detegatur, & postea veris sensibus mendacia illius expugnentur.

*Psal. 12.*

XIX. Interrogat iterum Felix: *Christus Dominus ac Redemptor noster, sicut in divinitate creditur verus & proprius filius Dei, ita & in humanitate, an aliter? & respondendo subjungit: Verus & proprius filius ille veraciter creditur, qui de substantia patris est genitus, non aliunde assumptus, cui generatio dat nomen filij, non electio, vel gratia, sive adoptio, aut voluntas.* Ecce jam patefecit omnem errorem, quam occultam corde gestabat. Dicendo namque, *Verus & proprius filius ille veraciter creditur, qui de substan-*

ria Patris est genitus, non aliunde assumptus, duos se filios credere prodit, unum genitum, alterum assumptum, unum cui generatio datur nomen filij, alterum cui electio, vel gratia, sive adoptio. Fortè dicat aliquis favens partibus illius: Non sensit Felix duos filios, ut tu dicis, qui statim subjunxit, *Vnus tamen in utroque, non duo.* Cui ego respondeo, non esse morem dicendi unquam *ille, & qui, aut cui,* sicut in hoc loco Felix scripsit, nisi cum agitur de personis; & quem ita divisum in corde tenebat, bene unire verbis supervacuis non poterat. Iam enim superius ostendimus ex verbis Nestorij, ita & illi esse morem loquendi, *idem unum esse in utroque, non duos.* Sed certè beatus Cyrillus, & ceteri qui idonei extiterunt ad detegendam fraudem illius, & expugnandam vesaniam, non illi crediderunt unum Dominum posse tenere in fide, de quo ita apertè loquebatur, sicut de duobus.

XX. Sed esto, consentiamus ei qui conatur asserere unum filium, Felicem sapuisse, non duos. Quid ergo est quòd unum eundemque dicit verum & non verum, proprium & non proprium, nativitate & adoptione, genere & electione, substantia & assumptione? Certè talis unitas non est unitas, sed dualitas; sic conjungere, dividere est; ita copulare, separare est. Rogo, ubi unquam legisti in divinis litteris, vel in dogmatibus catholicorum Patrum, quòd Dominus noster secundum humanitatem suam, assumptione, electione, vel gratia dicatur esse filius Dei Patris? Certè ego nunquam legi. Et si dicit Scriptura, *Beatus quem elegisti & as-*

*sumpsisti.* aut, *Exaltavi electum de plebe mea;* *Psal. 22.*  
 numquid talem sensum introducit, ut nos eum  
 dicere & confiteri debeamus electivum vel as-  
 sumptivum filium Dei Patris? Et si Evangelista  
 dicit eum plenum gratiæ & veritatis; numquid *Iodu. 1.*  
 docet ut Deo Patri gratia esse filium secundum  
 humanitatem eum confiteri debeamus? Ergo &  
 quia Apostolus dicit de illo, *semetipsum exina-* *Philip. 3.*  
*nivit, formam servi accipiens,* acceptivum filium  
 Deo Patri esse eum dicemus secundum huma-  
 nitatem. Penset diligenter quis, & quid, aut  
 quare assumpsit, suscepit, accepit. Suscepit cer-  
 tē Verbum Dei coæternum Patri substantiam  
 nostram; sed non ideo ut ipse sibi filius esset;  
 non ideo ut Deo Patri alio modo inciperet esse  
 filius, quàm erat ante incarnationem; non ideo  
 ut filiationis modos & nomina multiplicaret:  
 quia nec se ipsum dualitatis copulatione dupli-  
 cavit. Non enim alter est suscipiens, & alter  
 susceptus: non est alter pro nobis pauper factus,  
 nisi qui erat dives & ante susceptionem pauper-  
 tatis: non est alter pro nobis peccatum factus,  
 nisi qui erat antea nesciens peccatum: ut, sicut  
 Apostolus exponit, cœlestis medicus ex nobis  
 acciperet per quod contraria medicamenta no-  
 bis adhiberet, scilicet ut salva impassibilitate  
 sua, immortalitate, & incommutabilitate, sua  
 nos morte vivificaret, sua paupertate ditaret,  
 suis contumeliis honoraret, suis vulneribus sa-  
 naret, & cetera hujusmodi. Sic & in quodam  
 loco beatus scribit Hieronymus: *Quæ autem*  
*potest major esse dementia, quàm ut filius Dei,*  
*hominis filius nasceretur, decem mensium fasti-*  
*dia sustineret, partus expectaret adventum, in-*

volveretur pannis, subiceretur parentibus, per  
 singulas adoleret aetates, & post contumelias vo-  
 cum, alapas, & flagella, crucis quoque pro nobis  
 fieret maledictum, ut nos à maledicto legis absol-  
 veret, Patri factus obediens usque ad mortem.  
 Sed quia cuncta suprà scripta Felicis malè sensa  
 verbis Patrum destruere debemus, legat cu-  
 placet jam adnexas Patrum sententias. Interim  
 tamen, quia memini me suprà dixisse nullo mo-  
 do Felicem sibi suadere potuisse ut in una  
 Domino duarum naturarum conjunctionem  
 naturaliter ac substantialiter factam crederet, &  
 verbis beati Cyrilli ostendimus quomodo natu-  
 raliter facta credatur, habet lector de eadem re  
 beati Hieronymi satis politam & enucleatam  
 sententiam, cum de illo divinæ scripturæ loco  
 ageret, ubi dictum est, *Ponam inimicitias inter  
 te & inter mulierem, & inter semen tuum & se-  
 men mulieris. Ipsa tuum calcabit caput, & tu  
 insidiaberis calcaneo ejus. Nonne, inquit, con-  
 spicis, nonne consideras, quòd jam tunc illi mi-  
 nabatur in Christo? Alium enim semen mulieris  
 nullum prorsus accipio, nisi illum quem Aposto-  
 lus ait factum ex muliere, factum in carne, il-  
 lum, qui, ut Evangelista refert, Ioseph filium  
 putabatur esse, sed non erat, illum utique qui  
 Verbum caro factum est. Nam si generandi pu-  
 blicam istam & naturalem circumspicimus ra-  
 tionem, semina non habent mulieres. Denique  
 nulla concipit sine viro. Ac per hoc, quoniam jam  
 tunc in Adam semen humane generationis esset  
 transgressione vitiatum, semen cœleste promitti-  
 tur, ut Apostolus sentit, non ex corruptione viri  
 sed ex Deo, quod tamen caro fieret in muliere, &*

Genes. 3.

Galat. 4.  
 L. 4. 3.

Galat. 3.  
 Ioan. 1.

elementa prima illa corporea substantia, id est, humoris & sanguinis, in ipso sibi vasculo, in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter aptaret. Beatus quoque Augustinus: Illa enim natura, inquit, quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam sine peccato suscepit, ut nasceretur ex Virgine. Neque enim natura eterna atque divina temporaliter concipi & temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humana veram temporaliter conceptionem atque nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus aternus ac verus, veraciter secundum tempus conceptus, & natus ex Virgine. Dum enim venit plenitudo tem-

August. sive  
Fulgentius in  
lib. de fide ad  
Petrum c. 2.

Galat. 4.

XXI. Contra illud verò quod Felix dicit, duobus modis Deo Patri unum esse filium, & duobus modis matri, quæ dicendo, illuc tendit, ut ostendat eum secundum divinitatem quidem esse verum, secundum humanitatem autem non verum, quod quàm falsum sit, jam supra positæ sententiis beati Cyrilli ostensum est; & nunc ejusdem & aliorum ponenda sunt testimonia, per quæ ostendendum est, & unicum Dominum nostrum totum esse Deum, & Dei filium, hominem quoque & hominis filium, salva tamen proprietate utriusque substantiæ, totumque esse verum quod est; ut quicumque diversos modos filiationis Dei in fide nobis introducere voluerit, videat an locum inveniat. Beatus Cyrillus:

Libet, ait, eum percontari utrum unitatem Verbi ad humanitatem Verbi, sive ad sanctum corpus animatum intelligibiliter factam, dicat secundum veritatem, an potius cum aliis simul, & ipse secundum copulationem, quæ per habitudinem est sermo docibilis & inexistentis formæ ad inexistentem & divinam formam. Vnum namque unitas demonstravit, & in duos dividere refutamus. Nam licet factum est caro Verbum secundum Scripturas; attamen est etiam sic filius unigenitus secundum unitatem veram, quæ ultra mentem & rationem est. Ipse igitur unus & verus Christus Iesus, tanquam per instrumentum proprii corporis operatus est signa divina, & non operatum in eo. Item Cyrillus: Dominus noster Iesus Christus unus, inquit, & solus verè filius existens Dei Patris, caro factus, & principat omnium simul cum proprio genitore, flectiturque ei omne genu celestium, terrestrium, & infernorum, & confitetur omnis lingua, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Est igitur ipse Dominus quidem omnium, secundum quod intelligitur & est Deus, licet non sine carne post inhumanationem. Ipse verò rursus nec Deus nec Dominus. Est enim absurdissimum, magis autem omni impietate verè completum, ita sapere vel dicere. Item ipse Dispensationis unigeniti cum carne sacramentum, à nobis jam factis, nunc nihilominus copulare sermonibus dignum est, & eos non sine decenti ratione monstrare. Et post pauca: Cum Nestorius igitur ita scripserit de Christo, Ergo qui passus est Pontifex misericors, nam vivificator eius qui passus est Deus, & Deum Christi Deum Verbum nominaverit, adjeceritque his, Erat autem ipse

Apocal. 5.

Philip. 2.

Et infans, Et infantis Dominus, non affirmamus, quia non decentior natu, magis autem impiè nimis ejus verba prolata sunt. Si enim Deus est Christi ex Deo Patre Verbum, duo modis omnibus erunt, Et indubitanter. Quomodo autem intelligitur Et infans ipse, Et Dominus infantis? Non ergo dicitur Et Deus suimet ipsius, Et dominus Emmanuel, si est idem Deus simul Et homo, tanquam inhumanatum Et incarnatum Dei Verbum.

XXII. Beatus quoque Augustinus: Ego enim, inquit, Salvatorem nostrum non divido, non confundo, ne aut incorpoream Et imaginariam carnem, aut carnalem Et mortalem prædicem deitatem. Non separo; ne Dei Patris unam secundum carnem, Et alteram secundum majestatem introducere videar prolem; quia idem Dei filius Et sine initio processit ex Patre, Et secundum tempus nasci est dignatus ex Virgine. Impassibilis in suo, passus in nostro, dum incomprehensibilem majestatem velut quoddam indumentum carnis vestire est dignatus ex utero. Mediatoris una persona, non una substantia; una inquam persona, ne sit non unus Christus; non una substantia, ne mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantum dicatur aut hominis filius. Et post pauca: Quibus in unam personam incomprehensibili mediatoris dispensatione conjunctis, servavit singulis propria, sed conjunxit propriis aliena. Servavit propria, dum non amisit immensitatem divinitatis, Et infirmitatem non respuit carnis. Conjunxit propriis aliena, dum idem atque inseparabilis Christus, Et proprio carnis occiditur, Et proprio deitatis apud inferos non tenetur. Proprio carnis

gustavit vita mortem, proprio deitatis perpetuam reddidit carnem. Non ergo rectè dicitur, In filio Pater est passus; quoniam in carne, que ei non est cum Patre communis, passus est filius. Itaque glorificata est caro majestatem, dum majestas humiliata docetur in carne. Sed utrumque non de duobus Christis, sicut putas, sed de uno atque eodem ipso, quem post partum Virginis Deum & hominem novimus, nos certum est predicare. Ecce beatus Augustinus asserit, quia qui Salvatorem nostrum confundit, aut incorpoream & imaginariam carnem, aut carnalem & mortalem prædicat deitatem; qui verò separat, unam secundum carnem, & alteram secundum majestatem Dei Patris, introducere videtur prolem. Certum est ergo separare te Salvatorem nostrum qui duos modos tenes filiationis, ut aliter sit filius secundum deitatem, & aliter secundum carnem. Quod si unus atque idem est inseparabilis Deus & homo, qui & proprio carnis occiditur, & proprio deitatis inseparabilis permanet, ubi habebunt locum tui modi?

XXIII. Item beatus Augustinus: *Filiorum namque alij, inquit, sunt adoptivi, alij naturales. Hi, quia geniti ab initio, filij semper ac proprij. Illi, primo alieni, post filij, cum per adoptionem in familiam videantur adscisci. Quibus ergo comparandus est filius Dei? Si adoptivus; erit apud Patrem similis nobis. Si proprius; ex substantia extitisse dicendus est genitoris.* Ecce beatus Augustinus apertè docet, quia adoptari in filio non potest, nisi qui antea extitit alienus; nec potest quisquam per adoptionem accipere patrem, nisi qui habuit proprium. Tu qui duo-

bus modis unicum Dominum prædicas esse filium Patri, id est, proprietate & adoptione, ostende ex illa parte qua adoptivus est, quem habuit proprium, aut ostende fuisse illum antequam adoptaretur; sicut beatus Augustinus adoptivos distinxit à propriis. Item beatus Augustinus: *Proinde, ait, Christus Iesus Dei filius, Deus est & homo, Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo; Deus, quia Dei Verbum.*

*August. in Enchirid. c. 35.*

*Deus enim erat Verbum. Homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse & Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cum enim esset unicus Dei filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius, ipse idem utrumque ex utroque unus Christus.* Si aliquando beatus Augustinus debuisset prædicare Dominum nostrum gratia esse filium Patris secundum humanitatem, in hac sententia haberet præcipuum & congruum locum. Dicens ergo, *Cum enim esset unicus Dei filius, non gratia, sed natura, adjungeret ut esset etiam filius gratia, factus est & hominis filius.* Non autem dixit ita. Sed ait, *Ut esset, etiam plenus gratia, factus est & hominis filius.* Qua autem ratione dicat eum factum filium hominis, propterea ut esse posset plenus gratia, in subsequenti sententia diligenter exponit, dicens: *Hic omnino granditer & evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici filij Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona præcesserunt, quibus me-*

*Ioan. 1.*

*Ioan. 19.*

*Ioan. 14.*

*Ibid. c. 36.*

reretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo; & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo homo cœpit esse, non aliud cœpit esse quàm Dei filius; & hoc unicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus; ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro; ita sit Christus una persona, Verbum & homo. Unde natura humana tanta gloria, nullis precedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hinc & sola Dei gratia fideliter ac sobriè considerantibus evidenter ostenditur; ut intelligant homines per eandem gratiam se justificari à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum posset habere peccatum? Sic ejus matrem Angelus salutavit, quando ei futurum nuntiavit hunc partum. Ave, inquit, gratia plena. & paulo post, Invenisti, inquit, gratiam apud Dominum. Et hac quidem gratia plena, & invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, immo Domini omnium, mater esset virginitate servata. Et post pauca: Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei filius, non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate persone, ut idem ipse esset etiam hominis filius. In hoc etiam loco ubi dicit Dei filium non gratia, sed natura, poterat subjungere, gratia etiam factus est filius Dei, suscipiendo hominem, si eum gratia filium Dei Patris secundum humanitatem esse deberemus credere. Sed non dixit aliquid tale. Immo ait: Gratia suscepit hominem. Qui suscepit? utique Filius Dei Verbum Dei. Certè gratia suscepit hominem. Miseri-

Luc. 1.

cordia factus est homo; quia misericordia natus, non conditione; misericordia mortuus, non debito. Numquid hinc aliquid referimus ad Patrem, ut dicere possimus gratia esse eum filium Dei Patris? Nam sicut credere deberemus gratia, adoptione, vel assumptione, aut quicquid secundum hæc dici potest, filium Dei secundum humanitatem, supra fuisset beato Augustino ad proferendum aptissimus locus, ubi dixit de homine assumpto, *nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse quàm Dei filius*, ut adderet, *gratia, adoptione, electione*, aut aliquid hujusmodi. Sed non fecit ita. Quod ergo addidit, videamus utrum possit ad ista pertinere. Ait enim: *Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse quàm Dei filius, & hoc unicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus*. Ecce beatus Augustinus hominem dicit unam factum personam cum Deo, & esse filium Dei unicum, & Deum. Numquid significavit hinc nobis ut credere eum debeamus non verum filium Dei, non verum Deum, sicut Felix docet? Certè ego puto quia cum diceret, *ex quo esse cœpit, non aliud cœpit esse quàm Dei filius*, propterea addidit, *& hoc unicus*, ut nos eum verum filium Dei credamus, & totum verum, & totum proprium, non medium proprium, & medium adoptivum.

XXIV. Si autem in hoc loco inusitato more ego alicui loqui videor, quia dico totum Dominum; audiat, quisquis ille est, similem huic sententiam Symmachi Papæ ad Anastasium Imperatorem: *Christus itaque Deus veraciter totus, & totus homo est, sic conceptus, sic editus.*

Coloss. 2.

sic conversatus in seculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus, sic cum discipulis appa-rens, sic elevatus in caelum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodieque in caeli regione persistit, dicente Apostolo, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et certè de eo dicit quod nunc est ipse. Ergo ille est minimus qui credit in Christo, qui in huiusmodi Christum credit, qui in integrum Christum credit, non in semi-Chri-stum, & ideo non Christum, quia Christus non nisi integer, integer autem non nisi huiusmodi. Ecce & beatus Papa Symmachus totum Chri-stum dicit veraciter Deum esse, & totum homi-nem. Si ergo totus veraciter Deus, totus uti-que verus Deus, & proprius filius Dei; quia tota generatio dedit nomen filio, non medio, ut vult Felix, quanquam nec humanitas sit de sub-stantia patris, nec divinitas de substantia ma-tris. Sed quia Verbum Dei, unius cum patre substantiæ, in unitate personæ suæ suscepit no-stram substantiam, non erit alio modo filius post humanitatis assumptionem, nisi quo erat & an-te incarnationem.

XXV. Item beatus Augustinus: *In terra, in-quit, erat, & in caelo se esse dicebat, & quod est maius, in caelo filius hominis, in caelo filius Dei, ut unam demonstraret in utraque natura perso-nam; & in eo quod Dei filius erat, equalis Patri, Verbum Dei, in principio Deus apud Deum, & in eo quod filius hominis erat, & assumens ani-mam humanam & carnem humanam, & indu-tus hominem exiens ad homines; quia in hoc utro-que non duo Christi sunt, nec duo filij Dei, sed una persona, unus Christus filius Dei; idem unus*

Christus, non alius hominis, & alius Dei filius; sed Dei filius secundum divinitatem, hominis filius secundum carnem. Quis autem nostrum, qui parum sentimus, aut parum sapimus, non potius ita vellet distinguere: Filius Dei in caelo, & filius hominis in terra? Sed ne sic divideremus, & ita dividendo duas personas induceremus, non ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit. Quis? Filius hominis. Filius ergo hominis descendit de caelo. Nonne filius hominis in terra factus est? Nonne filius hominis per Mariam factus est? Sed o homo noli, inquit, separare, quem volo copulare. Parum est, quia filius hominis descendit. Christus enim descendit; idemque filius qui filius Dei est. Sed est in caelo qui ambulat in terra. In caelo erat, quia ubique est Christus; idemque Christus & filius Dei, & filius hominis. Item beatus Augustinus ait: Praedestinatus est ergo Iesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute filius Dei secundum spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu sancto, & per virginem Mariam illa ipsa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo susceptio singularis, ut filius Dei esset filius hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum veraciter & proprie dicitur, ne non trinitas, sed quaternitas crederetur. Praedestinata est natura ista humana tanta & tam celsa & summa subvectione, ut quò adtolleretur altius, non haberet; sicut pro nobis ipsa divinitas quò usque se deponeret, non haberet humilium. Item beatus Augustinus: Hi sunt filij Dei quotquot spiritu Dei aguntur, sed gratia, non natura. Unicus enim natura Dei fi-

S. August.  
lib. 21. de  
Civ. Dei c. 15.

lius, propter nos misericordia factus est homini  
 filius, ut nos natura filij hominis, filij Dei per il-  
 lum gratia fieremus. Manens quippe ille immu-  
 tabilis, naturam nostram, in qua nos susciperet,  
 suscepit à nobis, & tenax divinitatis suae, nostrae  
 infirmitatis particeps factus est; ut nos in melius  
 commutati, quod peccatores mortalesque sumus,  
 ejus immortalitatis & justitiae participationem  
 amittamus; & quod in natura nostra bonum fecit,  
 impleti summo bono in ejus natura bonitate serve-  
 mus. Sicut enim per unum hominem peccantem in  
 hoc tam grave malum devenimus, ita per unum  
 hominem eundemque Deum justificantem ad illud  
 bonum tam subtile venimus. Item beatus Hiero-  
 nymus: Propheta ait: Virga tua & baculus  
 tuus ipsa me consolata sunt. Virga, mater est  
 Domini; ex qua baculus iste, fesso jam per atatem  
 mundo qui eum sustentaret, exiit. Illum ergo in  
 Virginis uterum delapsum, ut totam redemptio-  
 nis nostrae historiam retexamus, partu effusum  
 hominem se exhibuisse pro homine, & creaturam  
 suam se de creatore fecisse, illum formam servi  
 accepisse, exinanisse se potestatis voluntate, non  
 natura deitatis, per quam non poterat non esse  
 quod fuerat, illum maledicta pro salutaribus me-  
 ruisse miraculis, illum sputa, illum palmas, illum  
 coronam spineam, illum postremo crucem pro nobis  
 fuisse perpesum, illum inferna penetrasse, illum  
 die tertia resurrexisse in id corpus quod cruci fue-  
 rat adfixum, illum hominem Deum post mortem,  
 mortis, caelum petiisse, victorem, sedere ad dex-  
 teram Dei, venturum suo tempore ad iudicium  
 faciendum, illum spiritum Dei per sanctorum  
 suorum quotidie ora celebrari. Hæc cogitasse, vi-  
 xisse

Psal. 22.

xisse est; hac meditatio, partus est anima; in hac relabi vel recurrere, cum Domino jungi est, & cum ipso, per hac humiliari est, cum ipso pati est, cum ipso mori est, cum ipso est etiam suscitari.

XXVI. Beatus quoque Vigilus: Nos unum, inquit, Christum eundemque Dei filium, & hominis filium, non duos profiteamur, & ita Verbum intra Virginis uteri secreta carnis sibi initia concessisse, id est, verè incarnatum fuisse, ut tamen Verbi natura non mutaretur in carnem; itemque carnis naturam ita per suscipientis commixtionem in Verbi transisse personam, ut non tamen fuerit in Verbo consumpta. Manet enim utraque, id est, Verbi carnisque natura; & ex his duabus hodièque manentibus unus est Christus, unaque persona. Quis enim sacrilega opinione indutus, eò usque desipiat, quis in tam abruptum erroris barathrum semetipsum iniciat, ut filium Dei sine sua propria carne, quam in sacra Virginis utero ineffabili societatis per se mixtione ita sibimet adunavit, ut & Verbum homo, & homo Deus, idemque unus, non mutatis generibus nature fieret, neget hodie sedere ad dexteram Patris, venturumque judicare vivos & mortuos, cum ipsum Dominum dixisse non nesciat, Cum venerit filius hominis in gloria Patris sui. Item ipse: Nam cum Iesus Christus non Verbi sed carnis proprium sit nomen, & Deus proprium Verbi non carnis constet esse vocabulum; tamen & Verbum propter carnem suam, homo Iesus Christus; & caro propter Verbum Deum, Deus Verbum est. Item ipse: Diversum est initium non habere, & ex initio subsistere; mori, & mori non posse. Et tamen sicut ipsi Christo proprium est utrumque, ita

Vigilius Tapf.  
lib. 1. adversus  
Euych. c. 4.

Math. 16.

non ipsi sed in ipso est utrumque commune. Si enim dicamus, quia ipsi est commune, necesse est ut exigatur à nobis dare & ostendere alium, cum quo sit ei hoc ipsum commune. quæ professionis necessitas in Nestorij vergit impium dogma. Melius igitur & catholicè dicimus in ipso, & non ipsi, esse commune: & melius ipsi, & non in ipso, dicimus proprium esse. Ergo proprium est illi mori, qui propter naturam Verbi, mori non potest. Item propter ineffabile mysterium unius personæ, utrarumque naturarum communis in ipso fuit mortalitas carnis Verbi natura, quæ mori non potuit, & communis in ipso est immortalitas Verbi natura carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori & non mori ex utrisque naturis est proprium; ita commune est in ipso utrisque naturis, quod illarum est proprium.

XXVII. Sanctus Hilarius confessor: Natus ergo, inquit, unigenitus Deus ex Virgine homo secundum plenitudinem temporum, in semetipsum proVecturus in Deum hominem, huius per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Dei filium credi doceret, & hominis filium predicari ammoneret; locutus & gerens homo universa quæ Dei sunt loquens, deinde & gerens Deus universa quæ hominis sunt: ita tamen in ipso illo utriusque genere sermonis nunquam cum significatione & hominis locutus & Dei fuit. Ecce apertè beatus Hilarius dicit Dominum nostrum Iesum Christum docentem in Synagogis & ubique hunc modum sermonis per omnia tenuisse, ut se Dei filium credi doceret, & utriusque verum. quòd si verum, & proprium, alioquin, quare ex illo tempore non sunt inventi

quatuor modi quibus crederetur, duobus videlicet Patri, & duobus matri? Beatus autem Proculus Constantinopolitanus Episcopus, cum exponeret verba Apostoli, ubi loquitur de Iudæis dicens, *quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*, ait: *Hæc Pauli verba, quam subreptionem calumniæ eorum qui prava diligunt habere mittunt. Dixit enim Christum, ut ostendat quoniam secundum veritatem Deus factus est homo. Dicit eum ex Iudæis secundum carnem, ut insinuet quia non ex illo tempore quo est incarnatus existat. Dixit eum qui est, ut eum sine initio declaret. Dixit eum super omnia, ut totius creature Dominum prædicet. Dixit eum Deum, ne passionibus habitûque traducti intemeratam ejus audeamus negare substantiam. Dixit benedictum, ut adoremus eum tanquam omnipotentem suppliciter, nec ut conseruum calumnijs appetamus. Dixit eum in secula, ut demonstrat quod is qui nos verbo creavit, pro sua divinitate jugi à nobis honore celebretur. Habentes itaque Christum & existentem, & Deum, & benedictum in secula, veneremur eum Deum & Dominum, dicentes assertoribus exterorum dogmatum, si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Rom. 9.

Rom. 8.

XXVIII. Iterum interrogat Felix dicens: *Quid differt inter propria naturaliæque nomina divinitatis in uno filio Dei, atque accedentia humanitatis ejus? respondetque subjungens: Hoc differt, quod in divinitate sicut verus est filius Dei, ita & verus Deus. In humanitate verò sicut verus est homo, ita verus est filius hominis.*

Videtur mihi Felix rem in hoc loco fecisse ridiculofam. Differentiis namque nominum interrogavit divinitatis & humanitatis, & respondit hoc diff. re quòd in divinitate verus sit Deus, & in humanitate verus homo. Hoc non est differentia nominum, sed potiùs separatio substantiarum. Nam si, ut ait, divinitatis nomen est Deus, & humanitatis homo, debuit utique dicere quid differat inter utrumque nomen, id est, Deus & homo; & ut in sequentibus ait, *in divinitate unigenitus, in humanitate primogenitus*, debuit certè dicere quid differat inter unigenitum & primogenitum. Sed ponamus ipsius Felicis verba quæ prosequitur, ut ex ipsis lector cognoscat quomodo separando nomina, dividit substantias. *In illa, inquit, Deus super omnia, in ista verò homo intra omnia; & ut brevi compendio plurima concludam, in illa, id est in essentia divinitatis, Deus Dominus, Patris Verbum, Patris veritas, sapientia, virtus, imago Patris, invisibilis splendor Patris, lumen ex lumine, consubstantialis Patri, consimilis ei, equalis per omnia, invisibilis ut Pater, immensus, incircumscriptus, omnipotens, creans omnia cum Patre & Spiritu sancto, factor, vivificans quos vult, sicut & Pater, eligens cum Patre quos vult, prædestinans cum Patre quos præscit, sanctificans, deificans, glorificans quos vult, & reliqua his similia plurima. Accedentia verò illi sunt, homo, infans, puer, adolescens, juvenis, minister legis, servus Patris, minor Patre, subjectus frater electorum, particeps eorum, coheres, propinquus illorum, conformis, consimilis per omnia, excepto peccato, mediator Dei & hominum, Prophetas*

Ev.  
Ha  
secu  
cun  
X  
Fel  
pen  
pot  
tur  
eru  
mi  
id e  
tife  
nifi  
tan  
pre  
hæ  
fan  
ctu  
dic  
mi  
no  
qu  
pri  
fid  
tru  
co  
ru  
ut  
ips  
Et  
no  
re

*Evangelista, Apostolus, Sacerdos, Pontifex. Hac omnia, & his similia accedentia sunt illi secundum dispensationem carnis, non propria secundum potestatem Deitatis.*

XXIX. Ecce, ut lectio ipsa demonstrat, Felix aperte testatur hæc nomina secundum dispensationem carnis, non esse propria secundum potestatem Deitatis. Si caro ipsa propria dicitur, & est Verbi; quare carnis nomina non erunt propria ei cujus est caro ipsa propria? Ut mihi videtur, intellexit Felix quod ista nomina, id est, homo, infans, puer, Apostolus, & Pontifex, non essent Domini & Salvatoris nostri, nisi incarnaretur. quod utique verum est. Non tamen intellexit quod postquam incarnatus est, propria facta sint Dei, quia Deus ipse factus est hæc, id est, Deus Verbum factus est homo, infans, & puer. ipse factus est Apostolus, ipse factus est Pontifex. Sed quia, ut dixi, bene potuit dicere Felix quod ipsa nomina non sint in Domino ex natura divinitatis, sed ex humanitatis; non tamen bene dixit quod non sint propria; quia propria facta sunt, propter carnem propriam quam assumpsit.

XXX. Nos tamen, quam cautelam sanæ fidei in hac re tenere debemus, ex verbis Patrum ostendamus. Beatus itaque Vigilus Episcopus in expugnatione Acephalorum hæreticorum sic dicit: *Sicut illi mori & non mori ex utrisque naturis est proprium, ita commune est in ipso utrisque naturis quod illarum est proprium. Et ut exempli gratia dixerim, proprium mihi est notam livoris cujusque verberis gestare in corpore meo per naturam carnis meæ; & proprium mihi*

*Vigilius in lib.  
5. adversus  
Eurych. cap. 2.*

est hanc eandem notam non gestare in spiritu meo per naturam animæ meæ. Item proprium mihi est plagam verbi, id est, sermonem durum gestare in mente mea per naturam animæ meæ, & proprium mihi est eandem plagam non portare in corpore meo per naturam carnis meæ. Et cum sit mihi utrumque proprium; & corpori, & animæ meæ, utrumque alienum; quia nec corpus durum latissime sermonem intelligit, nec animæ flagelli vulnere livescit. Utrumque tamen commune est in semetipso, & animæ & corpori meo: quia nec animæ extra corpus, à quo ei sentire proprium fuerat, sentit; nec corpus citra animæ consortium plagarum indicia gestavit. Quod ergo proprium mihi in singulis, & alienum est singulis, id commune est in me ipso singulis, quod proprium est singulis. Et tamen ego ipse unus sum in utrisque, in me ipso communibus; & ego ipse unus sum in singulis mihi metipso proprijs. Quæ cum ita sint, series nobis divinarum percurrenda est litterarum, & plurima testimonia congreganda, quibus demonstretur quàm sit impium & sacrilegum, ea quæ sunt propria carnis Christi, ad naturam Verbi proprietate referre, & quæ sunt propria Verbi proprietate nature carnis adscribere: & quàm sit nihilominus impium, ea quæ sunt propria carnis per exceptionem proprietatis alienare à Verbo, & quæ sunt propria Verbi, eadem exceptionis lege alienare à carne; cum sit eis in Christo utrumque commune, & Christus sit utrumque.

XXXI. Felix in sola humanitate dicit Dominum Apostolum & Pontificem fuisse. Beatus autem Cyrillus contra hoc ita docet, dicens: Scriptura namque divinitus inspirata Deum nobis

inhumanatum predicant Emmanuel, participatumque carne & sanguine proximè nobis Dei & Patris affirmant Verbum factum, hoc est, hominem, non per conversionem, seu mutationem, sed virtute ineffabilis unitatis. Ideoque & unum dicimus Dominum Iesum Christum, unamque fidem, & unum sanctum baptisma. Qui autem à dogmatibus sic rectis recedunt, & contra sacras litteras durum atque superbum obiciunt sensum, & hoc solum quod bene se habere arbitrantur inspiciunt, hominem verò assumptum à Deo Verbo dicunt, secundum illud puto quod per unum sanctorum dictum est prophetarum, Non eram Propheta, Amos 7. neque filius Propheta, sed caupo eram fricans siccamina, & assumpsit me ex ovibus, & sicut ait beatus David, suscipiens mansuetos Dominus. Per habitum quippe & familiaritatem spiritalem, tanquam in voluntate & gratia & sanctificatione, sicut & nos ipsi adherentes Domino, unus spiritus sumus, 1. Corinth. 6. secundum quod scriptum est. Sed non est hoc humanari Dominum, sed neque proximè nobis carne & sanguine participare, sed magis proprium facere hominem, & non secundum alium modum quem dici poterit Prophetas & Apostolos & alios sanctos omnes. Putasne sanctus Paulus seducebat sanctificatos per fidem apertissimè dicens de unigenito, quia cum esset dives, pauper est factus propter nos? 1. Corinth. 2. Absit. Verè namque dicit omnino veritatis preco, qui est dives. Et quomodo pauper factus est? Etiam nunc sermo hic à nobis examinetur. Siquidem, sicut & sapere & dicere ipsi presumunt, homo assumptus à Deo est, quomodo pauper est factus qui assumptus est, & ultra naturam dignitatibus declaratus. Glorificatus est

enim; aut si non est hoc verum, derogabitur ab eius assumptioni tanquam deportanti ad minorem partem, & inhonestiorem mensuram humanitatis. Sed ita sapere dissonum est. Ergo non est pauper factus, qui assumptus est. Restat enim dicere, quia factus est in paupertate nostra, qui dives est tanquam Deus. Et iterum: Respicienda itaque sunt non illorum multiloquia, sed recta & immaculata fides evangelica atque apostolica sanctionis. Deus est in carne & in sanguine, humanitatisque mensuram per ea quae humana sunt cognoscimus. *1. Reg. 22.* *Daniel. 7.* *Hebr. 8. & 9.* *Millia millium enim angelorum sanctorum ministrant ei, & sacram ejus sedem circumstant Seraphim. Quia verò factus est homo, appellatusque summus Sacerdos, non tanquam majori Deo offerens sacrificium, sed sibi met & Patri, fidei nostrae negotiatus confessionem. Et iterum: Intuere siquidem eum immolantem quidem secundum humanitatem, assidentem verò sicut Deum. Quid enim ait beatus Paulus? Talem Pontificem habemus, qui sedet in dextera sedis majestatis in excelsis. Scientes igitur quia cum Deus esset, factus est homo, est autem unus atque idem filius, ipsi omnia tribuimus tanquam uni; & dispensationis non ignoravimus modos, sensuum virtutem artificiose atque prudenter in eius semper convertentes obedientiam.*

XXXII. Felix soli divinitati tribuit vivificationem, dicens Dominum secundum divinitatem vivificantem quos vult; & non recordans quod & caro vivicatoris Verbi, vivificatrix credenda est, beato Cyrillo docente ita: *Proprium ergo corpus factum dicimus Verbi, & non hominis alicujus seorsum, & separatim alterius*

citra eum qui intelligitur Christus & filius. Sicut autem proprium nostrum uniuscujusque dicitur corpus seorsum ejus cuius est, & in uno Christo intelligendum utique existens nostris corporibus cognatum sive consubstantiale. Factum enim ex muliere proprium ejus, sic ut dixi intelligitur & dicitur. Quoniam verò secundum naturam est ex Deo Patre Verbum, vivificatricem ostendit suam carnem; idcirco facta est nobis benedictio. Vivificans denique dicebat Christus: Amen dico vobis. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi, & vitam dedi mundo. & rursus: Panis autem quem ego dederò, caro mea est pro mundi vita. & iterum: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Item beatus Cyrillus: Vti ne videar ego solus Verbi corpus proprium nominare, etiam sanctorum Patrum volui ponere testimonia, ut sciant adversarij quia inaniter nos inclamant sequentes ubique illorum voces. Ait itaque famosissimus noster pater & Episcopus Athanasius in libro de sancta Trinitate: Et apparebat quia non erat fantasia, sed verè habebat corpus. Decebat enim Christum induentem humanam carnem, hanc cum proprijs passionibus ejus indui totam; ut sicut totam proprium ejus dicimus esse corpus, ita & corporis passionem propriam solum ejus dicantur, licet non contingerent secundum divinitatem ejus.

Ivan. 6.

XXXIII. Interrogat Felix dicens: Recurrunt propria nomina ad accedentia, seu accidentia ad propria, annon? Respondet, recurrunt. Interrogat quo ordine? Respondet: Propter singularitatem personæ, in qua divinitas filij Dei cum humanitate sua communes habent actiones; qua ex

causa aliquando ea que divina sunt referuntur ad humana, & ea que humana sunt, interdum ascribuntur ad divina, & hoc ordine aliquando Dei filius in hominis filio filius hominis appellari dignatur, & hominis filius in Dei filio filius Dei nuncupatur. Hic ammonedo lectorem ut istum Felicis recursum nominum conferat cum relatione Nestorij, & perpendat ne fortè similia sint. Sicut enim suprà posuimus verba Nestorij, dicitur ille, *sicut inseparabilem à divina natura habens copulationem relatione Dei & intelligentia omni creatura adorationem exhibente; & neque duos filios dicimus, neque duos Dominos.* Et post aliqua iterum Nestorius ait: *Sed solus precipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem adoptione & dominatione participans, auferens quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & Dominorum, prestitio verò nobis in copulatione ad Deum Verbum, omnem haberet ipsius fidem & intelligentiam & theoriam, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni suscepit creatura.* Ecce Nestorius dicit Dominum relatione Dei theoriam suscepisse, id est, Deitatem & adorationem. Felix verò dicit recurrere nomina propter unitatem personæ, & propterea appellari Dei filium hominis filium, & hominis filium Dei filium nuncupari. Videtur namque mihi, quia licet utriusque, Nestorij videlicet atque Felicis, nova & inusitata atque confusa sint verba, unus tamen eorum aut similis in hoc loco est sensus. Deinde diligenter considerandum est hoc quod Felix dicit, *Aliquando Dei filius in hominis filio filius hominis appellari dignatur.* Quid est hoc? Nunquid aliquando, & non

prà cap. 7.

semper? Numquid appellari & non esse? Deinde ait, *Et hominis filius in Dei filio filius Dei nuncupatur.* Numquid nuncupatur tantum, & non est?

XXXIV. Sed quia scio horum verborum quandam similitudinem esse in dictis beati Hieronymi, quæ iste in prima sua contentione pravo sensu efferre solebat; videamus, si ab illo istius sensus & verba non discrepant. Ait namque beatus Hieronymus: *Hic filius hominis per Dei filium, Dei esse filius in Dei filio promeretur.* Ecce beatus Hieronymus dicit *esse promeretur.* Felix dicit *appellatur, & nuncupatur.* Certè multum differt inter *esse promeretur*, & *appellatur*, aut *nuncupatur.* *Filius*, inquit, *hominis in Dei filio filius Dei esse promeretur.* Certè sic cuncta Christi Ecclesia catholica credit & confitetur. Qui *esse promeretur*, verè & propriè esse cœpit: quia, ut jam suprâ dictum est, *ex quo esse cœpit, non aliud cœpit esse quàm Dei filius, & hoc unicus.* Qui autem appellantur & nuncupantur, spiritum adoptionis acceperunt, ut filij Dei vocarentur: quia ex quo esse cœperunt esse filij Dei, sed filij Adam; filij iræ, & filij hujus seculi; & dum ista essent, prævenit eos misericordia Dei antequam illi ulla bona velle aut eligere possent; & sicut eos præscivit & prædestinavit ante mundi constitutionem, & vocavit tempore constituto, ac justificavit per adoptionem & redemptionem animarum, deinde glorificaturus est per adoptionem & redemptionem corporum in ultima resurrectione. Hæc fiunt in illis qui per gratiam adoptionis filij efficiuntur & appellantur Dei, per illum qui ante secula na-

*Vide integrum locum Hieronymi infra cap. 39.*

*Ephes. 1.*

*Rom. 7.*

turaliter natus, & in seculo naturaliter factus est  
 unicus filius Dei, qui nascendo est filius Dei,  
 non renascendo, cui nomen filij generatio de-  
 dit, non regeneratio, qui ex illa substantia qua  
 esse cœpit, ex quo esse cœpit, non aliquando  
 nuncupatur filius Dei, ut Felix vult, sed semper  
 est, ut catholici credunt. Ita nos, sicut beatus  
 Hieronymus ait, Deum hominẽmque jungen-  
 tes, & filium hominis in Iesu, & filium Dei te-  
 nemus in Christo. Hic sapientia vertetur, ut  
 Apocalypsis ait. Hic promissæ antidoti aperien-  
 da virtus. Hic Manichæorum virus, terrestre  
 germen Arrianorum, divino, si dici fas est, se-  
 mine superandum est.

*Apoc. 13.*

*Ioan. 13.*

XXXV. Memoratur item Felix dicti Do-  
 minici, quo ait: *Nemo ascendit in cœlum nisi  
 qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.*  
 & subjungit dicens: *Certè quando hæc loqueba-  
 tur, nondum erat filius hominis in cœlo per natu-  
 ram in suscipiente se, hoc est, in filio Dei.* Sed quia  
 ego in hæc verba advertere non possum quid di-  
 cere voluerit, aut quid senserit, ista indiscussa  
 prætermittenda, & ad alia ejus transeundum  
 est; maximè quia prædicta Dominica verba ex-  
 posita verbis beati Augustini supra posuimus.

XXXVI. Item Felix: *Certè, ait, Catholica  
 fides credit quod non proprius Dei filius, qui de  
 substantia Patris genitus est. & per omnia Patris  
 similis, pro nobis traditus sit, sed homo assumptus  
 ab eo.* Hæc Felix. Nos autem dicimus: Absit,  
 absit, ut ita catholica fides credat, quæ sine in-  
 termissione decantat, dicens: *Credo in Deum  
 Patrem Omnipotentem, & in Iesum Christum fi-  
 lium ejus unicum Dominum nostrum, natum de*

Spiritu sancto & Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum & sepultum. Ita enim catholica fides credit, quod ipse qui filius Dei Patris Omnipotentis est, & natus est de Spiritu sancto & Virgine, ipse sit pro nobis traditus, ipse passus, ipse crucifixus, mortuus, & sepultus, ipseque resurrexerit, ascenderit ad cœlos, & sedeat nunc ad dexteram Patris, & inde, hoc est, de dextera Patris, venturus sit ad iudicandos vivos & mortuos. Sed quia, ut superioribus verbis beati Hieronymi dictum est, hæc cogitasse, vixisse est, hæc meditatio, partus est animæ, in hæc relabi vel recurrere, cum Domino jungi est, & cum ipso per hæc humiliari est, cum ipso pati est, cum ipso mori est, cum ipso est etiam suscitari, bonum & jocundum est de hac re Patrum quoque hinc sententias subnectere. Beatus Augustinus de hoc ita dicit: *Cujus & nativitatem futuram secundum carnem, & mortem, & resurrectionem, atque ascensionem in cœlis, Lex & Prophetæ prænuntiare nunquam destiterunt, prout ipse præcipiebat, obedientes & verbis & factis. Nam & sacrificijs carnalium victimarum, quæ sibi ipsa sancta Trinitas, quæ unus est Deus Novi & Veteris Testamenti, à Patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificij significabatur gratissimum munus, quod pro nobis se ipsum solus Deus filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim secundum apostolicam doctrinam obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Ipse verus Deus, & verus Pontifex, qui pro nobis, non in sanguine taurorum & hircorum, sed in sanguine suo semel introivit in*

*Suprà cap. 25.*

*August. de  
Fid. ad Petr.  
Diac. c. 12.*

*Ephes. 15.*

*Hebr. 9.*

sancta. quod tunc Pontifex ille significabat, qui cum sanguine in sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se uno tantum exhibuit quod esse necessarium ad redemptionis nostrae sciebat effectum. Idem sacerdos & sacrificium, idem Deus & homo. sacerdos, per quem sumus reconciliati; sacrificium, quo reconciliati; Templum, in quo reconciliati; Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium, & templum; quia haec omnia Deus secundum formam servi. Non autem solus Deus, quia hoc cum Patre & Spiritu sancto secundum formam Dei. Reconciliati igitur sumus per solum filium secundum carnem, sed non soli filio secundum divinitatem. Beatus quoque Vigilius: Ita verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem ullo modo sensisse. Dicam adhuc manifestius. Confixa est divinitati clavis; sed ipsa penetrari non potuit, sicut caro eius potuit. Si quidem vulnere locum caro patefacta aperuit. Nam Deitas indivisibilis atque impenetrabilis mansit. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo effectibus, apparet Dei Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro eius haec omnia non solum pertulit, sed & sensit, & cessit, jure ac merito dicimus Deum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu vel mutatione divinitatis suae. Vide ergo: perferre passionem, natura est utriusque; sed cedere passioni, non est utriusque natura, cum sit unius ejusdemque persona. Beatus quoque Athanasius ita dicit: Et ostensum est omnibus, quia non corpus erat Verbum, sed corpus erat Verbi; & hoc palpavit Thomas postquam

Vigilius lib. 2.  
adversus Eu-  
tych. cap. 9.

eum resurrexisse vidit à mortuis, & vidit in eo fixuras clavorum quas pertulit, ipsum Verbum in suo corpore dum crucifigeretur aspiciens; & cum posset prohibere, non prohibuit, sed etiam propria sua faciebat quæ erant propria corporis, tanquam sua, Verbum incorporale, denique caso corpore à ministro, sicut ipse patiens dicebat: Dorsum meum dedi ad verbera, & faciem meam non averti à confusione sputorum. Quæ enim humanitas patiebatur Verbi, hæc inhabitans Verbum ad se referebat, ut nos deitatis Verbi participes esse possemus. Et erat admirabile, quia ipse erat patiens & non patiens; patiens quidem, quoniam proprium ejus corpus patiebatur; & in ipso qui patiebatur erat non patiens, propterea quia natura Deus manens Verbum est impassibile; & ipse quidem incorporalis erat in corpore passibile; corpus autem habebat in se Verbum impassibile, destruens infirmitates ipsius corporis.

Esai. 50.

XXXVII. Felix dicit: Ita divina scriptura loquitur, ut ea quæ capitis sunt, id est, Christi, referantur ad corpus, id est, Ecclesiam, & ea quæ corporis sunt, adscribantur capiti. Hoc ex parte verum esse potest. Sed veriùs diceret, si dixisset: Aliquando ex voce corporis loquitur caput, sicut est illud, *Saule Saule, quid me persequeris?* & *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* & cetera hujusmodi. Ceterùm ea quæ propriè excellentiæ capitis sunt, non sic referuntur ad corpus, ut iste dicit: quoniam ista communio capitis & corporis magis est in vocibus scripturarum, quàm in actibus & rebus, sicut est illud in Psalmo: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Et: *Deus, tu scis insipient-*

Actor. 9.  
Matth. 25.

Psal. 21.

Psal. 68.

tiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. in quibus Dominus pro corpore suo solam vocem suscepit, non actum, aut rem. Ille autem, ut mihi videtur, propterea elaborat in tantum conjungere caput & corpus, ut etiam unam hæc personam dicat, & ex hoc confirmari videatur sensum ejus, quo Dominum secundum humanitatem eisdem tantummodo modis credat filium Dei Patris, quibus & ceteri sancti fiunt filij Dei, id est, gratia, adoptione, electione, prædestinatione, & ceteris, ut ipse superius apertè de Domino dixit. Propter quod apparet in verbis ejus, quòd plus quodammodo conjungat corpus Salvatoris Ecclesiæ, quam sanctæ Trinitati. Vnde & his verbis subjungit in conclusione operis sui dicens: *Nihil enim habere potest Ecclesia quod ad vitam & pietatem pertineat, nisi quod à capite suo, id est, Christo, acceperit, Apostolo teste, qui in epistola ad Ephesios scribens ait: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipso.* Verum est omnino quòd Christus & Ecclesia caput & corpus dicuntur ab Apostolo frequenter. Et ideo una persona sunt; quia & corpus, capitis corpus dicitur, & caput, corporis utique caput. Non enim ad se dicitur caput, sed ad corpus. Sed tamen modus & discretio tenenda est, qualiter dicantur una persona. Neque enim eodem modo quo in filio Dei Verbum, & carnem, unam credimus omnino esse personam, non conjunctam ex duabus

Ephes. 1.

duabus personis, sed ex duabus substantiis; eodem etiam modo creduntur Christus & Ecclesia una esse persona, quæ conjuncta est ex multis personis. quæ unitas personæ, id est, Christi, atque Ecclesiæ, in Spiritu utique est, non in corpore. Sic enim docet diligenter Apostolus, dicens: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones verò gratiarum insunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrarum sunt; idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alij quidem datur per Spiritum sermo sapientia, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitarum in uno Spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes uno Spiritu potati sumus. Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Ecce Apostolus evidenter ostendit quomodo credantur Christus & Ecclesia una persona; videlicet, quia uno Spiritu potati, in uno Spiritu baptizati, unum corpus effecti per Spiritum Christi secundum eundem, & in eodem in uno Spiritu singulis hominibus diversæ*

gratiæ dantur; ita ut unus ex corpore homo, non  
omnes gratias habeant omnes ministraciones,  
omnes operationes infusas in corpore per unum  
caput Christum. Propter quod dicit in alio loco  
*Rem. 8.* *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic  
non est eius. Si autem Christus in vobis est, cor-  
pus quidem mortuum est propter peccatum, spi-  
ritus verò vivit propter justificationem.* Ecce per  
Spiritum Christi efficimur ejus membra. Effe-  
cti autem membra ejus, Christus in nobis est,  
& hoc modo caput est nostrum, id est, Ecclesiæ,  
qui operatur omnia non in singulis, sed in om-  
nibus. In singulis ergo non omnia, sed aliqua,  
sicut in omnibus non aliqua, sed omnia. Divi-  
dit Spiritus gratias, dividit Dominus ministra-  
tiones, dividit Deus operationes. Sancta Trini-  
tas, unus videlicet Deus, qui & nunc operatur  
omnia in omnibus, & in futuro erit omnia in  
omnibus, & in singulis. Sed quia omnia per  
mediatorem Dei & hominum fiunt, qui est utri-  
que Deus & homo; ideo dicitur & est ipse me-  
diator Christus, caput Ecclesiæ. *1. Cor. 15.* *Omnis viri ca-  
put Christus est,* ait Apostolus, (omnis scilicet  
viri ex quibus constat omnis Ecclesia) *caput ve-  
rò Christi Deus.* Hoc itaque modo nos Chri-  
stum & Ecclesiam unam fateamur esse perso-  
nam. Felix autem, quia quadam indecenti ra-  
tione referri dicit ad corpus ea quæ capitis sunt,  
confirmare nititur quòd ea quæ à Christo acci-  
pit Ecclesia, illa sint quæ Christi esse astringit, id  
est, gratia, adoptio, electio, & cetera. Propter  
quod & testimonio apostolico confirmat &  
concludit dicens: *Ephes. 1.* *Qui elegit nos in ipso ante  
mundi constitutionem, qui predestinavit nos in*

adoptio  
Quasi  
elegit  
sum  
quand  
filij, u  
filius.  
pterea  
ea qua  
quibu  
adjun  
rent  
Grati  
Adop  
X  
ostenc  
in B.  
homin  
fit ista  
utique  
fiscip  
habea  
stra, c  
enim  
perfo  
cordis  
Et hæ  
cus D  
putav  
largit  
fufcep  
error  
bus m  
crede

*adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipso.*  
 Quasi Apostolus diceret: Deus in Christo nos elegit, quando illum elegit; in ipso nos per ipsum prædestinavit in adoptionem filiorum, quando & illum prædestinavit in adoptionem filij, ut esset secundum humanitatem adoptivus filius. Talis omnino fuit sensus Felicis; & propterea de unitate Christi & Ecclesiæ loquens, ea quæ capitis sunt referri dixit ad corpus; de quibus jam supra sufficienter diximus, congrua adjungentes Patrum testimonia, quæ ostenderent multò aliter intelligendum, ubicunque Gratia, Electio, Prædestinatio, Assumptio, vel Adoptio sonat in dictis sanctorum Patrum.

XXXVIII. Quod ut faciliùs nunc iterum ostendamus, dicamus exempli causa. Legit Felix in B. Augustino, *Verbum Dei gratia suscepit hominem*; sed non bene novit discernere cujus sit ista gratia, à quo, aut cui largitur. Largitur utique à Deo à Verbo Dei naturæ humanæ, ut suscipiatur in filio, ut sit cum filio unus filius, & habeamus nos in illo primitias substantiæ nostræ, qui est verus filius, & proprius filius. Non enim merito humanitatis illius susceptæ sunt in persona Verbi ipsæ nostræ primitiæ, sed misericordia & gratia ejus pro nostra redemptione. Et hæc est gratia illa quam commendat catholicus Doctor. Felix autem non ita intellexit; sed putavit è contrario hanc gratiam à Patre filio largitam, ut dignaretur eum ex humanitatis susceptione gratia sibi adoptare in filium. Et hic error necessariò exigebat ab illo ut unum è duobus malis incurreret, id est, ut aut duos filios crederet, unum hominem, & alterum Deum,

aut cùm unum filium diceret, duobus eum modis esse filium Patris confiteretur, verum scilicet & non verum, proprium & adoptivum, natura & gratia. quæ duo mala advertuntur in literis ejus, quæ utique non adverterentur, nisi illa aliquando ad istum, aliquando ad illum inclinaret, occultissimo Dei judicio permittente. Et quia error terminum habere nescit, ad hoc devolutus est, ut sicut eum dixit Patri duobus modis filium esse, ita diceret & sanctam Deigenitricem aliter genuisse Deum, & aliter hominem, quasi extra Deum hominem genuerit.

XXXIX. Legit etiam Felix in sanctorum Patrum Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Hilarij, & Aviti libris, cùm de incarnatione Salvatoris tractaret, intromissum nomen adoptionis, sed juxta modum assumptionis vel susceptionis ab eis positum. quod ille alio & contrario hausit sensu. De qua re ut ea quæ sentimus, congruentiùs proferamus; ponamus aliam quam ex illis sententiam tam plenariam, ut ubi adoptio dicitur, qualiter accipienda sit, ex precedenti & subsequenti sensibus colligatur. At itaque beatus Hieronymus in suo brevi & elegantissimo tractatu de similitudine carnis peccati contra Manichæos: *Denique hoc confirmat proposita ipsa sententia, quæ primum Adam in animam viventem factum esse testatur, novissimum in spiritu vivificantem. Ecce quæ tam post innumerabiles annos & incomprehensa curricula seculorum ab omnibus mortalibus, à quibus ut qui secundum carnem natus est separatur, quod ille primus vivens, hoc novissimus vivificans; ille sibi data vix possidens, hic possidenda condonatus.*

Quod & Psalmista duobus versiculis explana-  
vit, dicens: *Quid est homo quod memor es ejus,  
aut filius hominis, quoniam visitas eum? Homo,  
Adam accipiendus est; filius hominis, Dominus  
intelligendus est: qui in memoriam veteris visi-  
tatur, & in defuncti recordatione spiritu saluta-  
tionis impletur. quod ipsa verba exprimunt. ut  
rem planam videre non mirum sit, dum & ho-  
mini memoria conjungitur, & filio hominis vi-  
sitatio copulatur. Illi mortali quid aliud poterat  
superesse? huic vivificanti quid aliud oportebat  
infundi? Nam defunctis memoria debetur, vi-  
sitatio viventibus exhibetur. quod utrumque in  
Dominop̄ incarnationem constat impletum, cum  
ob primi commemorationem novissimus visita-  
tur, & per novissimi visitationem salvatur &  
primus. Huic sensui germana est illa senten-  
tia: Primus homo de terra terrenus, secundus è  
cælo cælestis. Quis est iste cælestis? Sine dubio ille  
qui eum quem gestabat in baptisate fecit audi-  
re quod ante ipsum nullus audierat: Filius meus  
es tu, ego hodie genui te. Et qualiter dicitur ho-  
die, si in principio Verbum, & Verbum apud  
Deum, & Deus erat Verbum. quia non est istud  
Verbum quod semper in Patre, & apud Patrem,  
& cum Patre fuisse esse credendum est; sed homo,  
quem in gratiam salutis Deus Verbum suscepe-  
rat, audivit. Hic filius hominis per Dei filium,  
Dei esse filius in Dei filio promeretur. nec adop-  
tio à natura sejungitur, sed natura cum adop-  
tione conjungitur. quoniam cum Verbum caro  
factum est, non per assumptam decrevit assump-  
tor, sed in assumente crevit assumptio. Creature  
enim poterat per creatorem infirmitatis substan-*

Psal. 8.

Hebr. 2.

1. Cor. 15.

Matth. 3.

Hebr. 1. ]

Ioan. 1.

*tia commutari, creatoris autem in creaturam non poterat aternitatis natura converti. Et ideo cum dicitur; Prior homo de terra terrenus, secundus è caelo caelestis; non corporis materia separatur, sed forma vitalis; nec caro tollitur, sed carnis susceptor ostenditur, ille, inquam, qui in Evangelio ait, Vos de inferioribus estis, ego de superioribus sum. De superioribus ait, non utique siderea carne, sed virtute divina. Ecce beatus Hieronymus, postquam dixit, nec adoptio sejungitur à natura, sed natura cum adoptione conjungitur, ut ostenderet quæ esset hæc adoptio, adjunxit: Quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumptam decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio. Quod supra dixit adoptio, hoc inferiùs subjecit assumptio; & quam supra dixerat naturam, explanavit subdendo assumptorem & assumentem. Nihil ergo aliud hîc significat adoptio quàm quod assumptio; & nihil omnino aliquid tale hîc demonstrat tota beati Hieronymi sententia, per quod suspicari possimus ita eum sensisse, ut Dominum nostrum Iesum Christum secundum humanitatem Dei Patris adoptivum filium credendum doceret. Quia cum dicit adoptio, & natura assumens, & assumptio, assumpta, & assumptor; nihil horum ad Patrem referri videtur, sed de duabus tantùm substantiis, ex quibus constat una persona unici & veri filij Dei, tractari cognoscitur. Et ut plenius dicamus quod sentimus, adoptata est natura humana, id est, suscepta vel assumpta in persona filij à filio; ut cum ipse esset filius, non alio, sed eo modo quo erat & antè filius. & hoc est quod dicitur, non per assum-*

1. Cor. 15.

Ioan. 8.

pram decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio.

XL. Iuxta igitur hunc modum & ceteros Doctores dixisse & sensisse, ubicunque nomen & verbum adoptionis in fide dogmatibus inseruerunt, credimus. Dicit itaque beatus Hilarius:

*Hilarius l. 2.  
de Trinit. sub  
finem.*

*Parit virgo, partus à Deo est. Infans vagit, laudantes Angeli audiuntur. Panni sordent, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.*

Sed statim post paululum subjungit dicens eum in carnis assumptione hominem, Deum verò in gestis rebus existere. Paulò namque superiùs dixit: *Postremo unà cum Iudæis irascantur iidem heretici, quòd Christus sibi proprium Patrem confitens, Deum equalem se fecerit Deo; & unà cum his audiant, Vel operibus credite meis, quia ego in*

*Ioan. 14.*

*Patre, & Pater in me est. Vnum igitur est hoc immobile fundamentum, una hac felix fidei petra, Petri voce confessa, Tu es Filius Dei vivi.*

*Matth. 16.*

Ecce admirandus Doctor dicit quòd Christus proprium sibi Patrem confiteatur Deum. Nempe si proprius Pater, non adoptans, sed generans, proprius filius, non adoptatus, sed natus.

XLI. Beatus quoque Avitus, Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator, scripsit dicens: *Certè circumfremetibus Iudæis*

*Avitus ep. 2.*

*& in Dominum nostrum exerta blasphemiarum tela vibrantibus, quem respondiisse credimus, Amen dico vobis, ante Abraham ego sum, nisi*

*Ioan. 8.*

*quia per concordiam genitoris & generis ipse per traducem maternorum parentum descendit ex Abrahæ semine, qui sine annorum numero Abraham præiit aternitate? Qui maximus Patriar-*

charum, cum videret illum diem, in quo sine fine permanet Deus, concipivit tamen illum videre quo homo unitus est Deo. Vidit, inquit, & gavisus est. quia sicut cernebat illum in quo erat genuina majestas, ita & istum desiderio conceperat, in quo adoptata illustrabatur humilitas. Sed quia hæc dicens, nec credidit nec docuit Dominum nostrum adoptivum esse filium juxta humanitatem, apparet ex eo quod ibidem præmisit dicens: *Apostolus autem dicit, Postquam vero venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum. Enimvero qui mittitur, erat antequam mitteretur. Quia si ante Mariam non fuisset, hunc similem ceteris adoptio faceret Dei filium, non natura. Nec in Evangeliiis ipse dixisset: Tantum dilexit Deus mundum, ut filium suum unicum daret. Non electum ergo ab ipsa ineffabili paternitate, sed genitum; cui tam Deo quam homini vero, in utraque natura fideliter proprio, in divinitate emanasse de Patre, in corpore cœpisse de matre. Ecce catholicus Doctor veridicè contra Felicem testatur, quòd Dominus noster nec adoptione nec electione sit filius Patris, sed genere & proprietate.*

XLII. Beatus etiam Papa Gregorius cum exponeret verba Helii, ubi dicit, *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus*, dixit: *Legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic mediatori in legislatoribus similis nullus est. Quia isti gratuito vocati, ex peccatis ad innocentiam redeunt; & ab his qui in semetipsis experti sunt predicando alios reducant. Redemptor autem noster, homo sine peccato*

*Avitus ep. 28.  
Galat. 4.*

*Joan. 3.*

*S. Gregor. lib.  
27. Mor. in Iob  
cap. 1.*

est, *filii sine adoptione*. Ecce eximius Doctor dicit Dominum nostrum filium sine adoptione: qui profecto si sciret duobus modis eum esse filium Patris, id est, secundum humanitatem adoptione, secundum divinitatem natura, nunquam illum diceret filium sine adoptione.

XLIII. Fidentius verò quidam catholicus Doctor cum similiter doceret proprium & verum esse filium Dei Dominum nostrum, exponens locum illum Evangelij, ubi transfigurato Domino in monte, facta est vox Patris ad Apostolos dicens, *Hic est Filius meus dilectus*, dicit: *Ideo, elevantes oculos Apostoli, neminem viderunt nisi solum Iesum, ne & ipse filius hominis, sicut Moyses & Helias, vel ceteri sancti, putaretur homo Dei, & æquaretur cum adoptivis Dominus majestatis*. Ecce & hic pietatis Doctor eum quem dicit non æquandum adoptivis, filium hominis nominat: quem utique si sciret adoptivum secundum carnem, nominans eum filium hominis, non sic discerneret ab adoptivis ut Dominum majestatis.

XLIV. Beatus quoque Augustinus, cum exponeret epistolam beati Pauli Apostoli ad Galatas, & pervenisset ad locum ubi dicitur, *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, post aliqua quæ ad expositionem horum verborum pertinebant, subjunxit dicens: *Nec dixit idem Apostolus, ut adoptionem filiorum acciperemus, sed reciperemus; ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hic enim adoptionem reci-*

pimus. quod ille unicus non dedignatus est participatione natura nostra, factus ex muliere. Sed si prædictus Doctor in his verbis ita nos sapere voluisset, ut unicum filium Dei Dominum nostrum duobus modis Deo Patri filium confiteremur, id est, natura, & adoptione, nunquam iterum taliter doceret, ut in expositione Psalmi octogesimali octavi docuit, dicens: *Quis in nubibus aquabitur Domino? Et quis similis erit Domino in filiis Dei? Ergo nemo in filiis Dei similis erit filio Dei. Et ipse prædictus est filius Dei, & nos dicti sumus filij Dei. Sed quis similis erit Domino in filiis Dei? Ille unicus, nos multi; ille unus, nos in illo unum; ille natus, nos adoptati; ille ab æterno filius genitus per naturam, nos à tempore facti per gratiam; ille sine ullo peccato, nos per illum liberati à peccato. Quis ergo in nubibus aquabitur Domino, aut quis similis erit Domino inter filios Dei? Ecce illustris Doctor prædicat Dominum nostrum nativitate esse filium, non adoptione, dicens; *Ille natus, nos adoptati; ille ab æterno filius genitus per naturam, nos à tempore facti per gratiam.* Quia proculdubio qui nascitur, non adoptatur ei de quo natus est; & qui adoptatur, non de illo nascitur à quo adoptatus est; sed nisi natus, adoptari non potest. Natus enim de altero, adoptatur ab altero. Dominus autem noster, quia non est natus de altero patre, non adoptatur à Deo Patre. Quia verò nascitur ex Deo Patre, nec cum homo sit, adoptatur à Patre; quia in assumptione carnis non fit alter; sed is qui erat Deus, efficitur homo, Deus natus sine initio propter se, homo natus à certo initio propter nos, unus &*

unic  
part  
litati  
est &  
est,  
nos c  
pote  
nunc  
sit ni  
Prop  
tate  
rior.  
diffe  
discr  
tas,  
sunt.  
senti  
viver  
rum.  
secul

A.D

D

C

dovv  
sto,  
rum  
vos a  
ctore  
sariis

unicus, proprius & verus. Nec propterea, quia particeps fieri dignatus est substantiæ & mortalitatis nostræ, particeps etiam factus credendus est & conditionis; cum nos, ut supra jam dictum est, conditione nascamur, ille misericordia; nos debito moriamur, ille potestate; nos illius potestate de filiis iræ efficiamur filij Dei, ille nunquam talibus obnoxius, nihil aliud esse possit nisi filius proprius & verus æterna nativitate. Propter quod etiam cum ipsa assumpta humanitate unus est verus Deus cum Patre, non posterior, non minor Patre, aut Spiritu sancto, non differens majestate, non impar potestate, non discrepans operatione. Sancta enim hæc Trinitas, discreta personis, non separabilis, unum sunt. Unus est, non in una essentia, sed una essentia, una substantia, uno nomine, una natura, vivens & regnans, sine recordatione præteritorum, sine expectatione futurorum, per omnia secula seculorum. Amen.

## AD EVNDEM IMPERATOREM,

## DE INSOLENTIA IVDÆORVM.

CHRISTIANISSIMO, & verè piissimo, & in Christo victori ac triumphatori Hludovico Imperatori felicissimo, semper Augusto, Agobardus abjectissimus omnium servorum vestrorum. Cum Deus omnipotens, qui vos ante tempora præscivit & præordinavit rectorem pium futurum temporibus valde necessariis, sublimaverit prudentiam vestram & stu-

dium religionis supra ceteros vestri temporis mortales; dubium non est præparatum vos ad remedium temporibus periculosis, de quibus Apostolus loquitur: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, & cetera, & habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*; de quibus nihil est expectandum quod jam non videatur, nisi solutio Sarnæ, & publica calcatio sanctæ civitatis mensibus quadraginta duobus, quæ futura est per caput omnium iniquorum Antichristum. Cum hæc igitur ita se habeant, obsecro tranquillissimam longanimitatem vestram, ut præbeat patientissimam aurem vestram verbis quibus ego infimus servorum vestrorum nimis necessarium puto admonendam sanctissimam sollicitudinem vestram de re tam necessaria, quæ aut sola, aut præcipua est, cui præ ceteris succurrere debeat gubernatio vestra; cujus narrationem si prosequi potuissem tacitis nominibus auctorum, vellem omnino. Sed quia fieri non potest, committo me bonitati & patientiæ vestræ, dando me periculis, & innotescens vobis quæ tacere perniciosum est. Venerunt Gericus & Fredericus, quos præcurrit Eurardus, Missi quidem vestri, non tamen per omnia vestra agentes, sed ex parte alterius; & ostenderunt se Christianis terribiles, & Judæis mites, maximè Lugduni, ubi partem persecutionis adversus Ecclesiam depinxerunt, quam multis gemitibus, suspiriis, & lacrymis stimulaverunt. Quæ persecutio, quia præcipuè adversum me acta est, tota à me prædenda non est; nisi fortè clementissima solli-

1. Tim. 3.

Apoc. 11.

citudo vestra scire voluerit. Tamen in quantum Ecclesiæ Christi noxia est, si vestra patitur mansuetudo, breviter intimare exordiar. Venientes itaque primùm Iudæi, dederunt mihi Indiculum ex nomine vestro, & alterum ei qui pagum Lugdunensem vice Comitis regit, præcipientem illi, ut auxilium ferret Iudæis adversum me. Quos Indiculos, licet ex sacro nomine vestro recitarentur, & vestro anulo essent signati, nullatenus tamen credidimus ex iudicio vestro tales prodisse. Cœperunt autem efferri quadam odibili insolentia Iudæi, comminantes omnibus injuriis nos afficiendos per Missos quos adepti fuerant ad ex solvendam vindictam de Christianis. Post eos venit Evrardus, eadem iterans, & dicens majestatem vestram commotam esse valde adversum me propter Iudæos. Deinde venerunt & prædicti Missi, habentes in manibus tractoriam stipendialem, & capitularia sanctionum, quæ non putamus vestra jussione existere talia. His causis lætificati sunt Iudæi ultra modum, & contristati Christiani, non solùm illi qui fugerunt, aut qui absconditi sunt, vel qui districti, sed & ceteri qui viderunt, vel audierunt; maximè ideo, quia sententia Iudæorum ita confirmata est, ut auderent irreverenter prædicare Christianis quid potiùs credendum esset ac tenendum; blasphemantes coram eis Dominum Deum ac Salvatorem nostrum Iesum Christum. Roboratur quoque hæc perversitas ex verbis Missorum, quibus susurrabant quorundam auribus, dicentes quòd Iudæi non abhominabiles, ut plerique putant, sed cari essent in oculis vestris, & hominibus eorum di-

centibus ex parte meliores eos habitos quam Christianos. Et ego quidem indignus servus vester non eram Lugduni; sed aberam longè, causâ Nantuadensium monachorum, qui quadam diffimultate inter se laborabant. Tamen direxi Missos nostros, & litterulas ad illos, ut præciperent quicquid vellent, aut eis injunctum esset, & nos obediremus. Sed nihil veniæ adepti sumus; ita ut etiam aliqui ex sacerdotibus nostris, quibus nominatim minabantur, non auderent præsentiam suam eis exhibere. Hæc passus sumus à fautoribus Iudæorum, non ob aliud, nisi quia prædicavimus Christianis, ut mancipia eis Christiana non venderent, ut ipsos Iudæos Christianos vendere ad Hispanias non permitterent, nec mercenarios domesticos habere, ne feminæ Christianæ cum eis sabbatizarent, & ne diebus Dominicis operarentur, ne diebus Quadragesimæ cum eis pranderent, & mercenarij eorum iisdem diebus carnes manducarent, ne quilibet Christianus carnes à Iudæis immolatas & deglubatas emeret, & aliis Christianis venderet, ne vinum illorum biberent, & alia hujusmodi. Est enim Iudæorum usus, ut quando quodlibet pecus ad esum mactant, ut subactum idem pecus tribus incisionibus non fuerit jugulatum; si apertis interaneis jecur læsum apparuerit, si pulmo lateri adhæserit, vel eum insufflatio penetraverit; si fel inventum non fuerit, & alia hujusmodi; hæc tanquam immunda à Iudæis repudiata, Christianis venduntur, & insultario vocabulo Christiana pecora appellantur. De vino verò, quod & ipsi immundum fatentur, & non eo utuntur nisi ad vendendum

Chr  
quo  
iteru  
mitt  
ca il  
de I  
minu  
nos i  
rum  
beat  
intri  
Iudæ  
exen  
aliqu  
amat  
rit ill  
rem,  
nec si  
si fue  
hend  
Et id  
mact  
dæos  
stiano  
patis  
taxat  
verbi  
vunt  
tæ au  
serve  
utiqu  
liter  
Hæc  
de pe

Christianis, si contigerit ut in terram defluat quolibet loco licet sordido, festinantes hauriunt iterum de terra, & ad conservandum in vasa remittunt. Qualiter verò & alia improbanda circa illud agant, non solum de Christianis, sed & de Iudæis multi sunt testes. Quòd autem Dominum nostrum Iesum Christum & Christianos in omnibus orationibus suis sub Nazarenorum nomine cotidie maledicant, non solum beatus Hieronymus, qui se scribit novisse illos intrinsecus & in cute, testis est, sed & de ipsis Iudæis plerique testantur. In hac re sumens exempli gratiam, dixi Christianis hoc modo: Si aliquis homo seniori suo vel domino fidelis & amator existat, & quempiam hominum senserit illi esse inimicum, detractorem, convitiatorem, & comminatorem, non vult ei esse amicus, nec socius mensæ, nec particeps ciborum. Quòd si fuerit, & hoc senior ipsius vel dominus deprehenderit, nec fidelem sibi eum esse existimat. Et ideo cum proculdubio noverimus blasphematores &, ut ita dicam, maledictores esse Iudæos Domini Dei Christi & fidelium ejus Christianorum, non debemus eis conjungi participatione ciborum & potuum, juxta modum duntaxat à sanctis Patribus & exemplis datum & verbis præceptum. Ceterum, quia inter nos vivunt, & maligni eis esse non debemus, nec vitæ aut sanitati vel divitiis eorum contrarij; observemus modum ab Ecclesia ordinatum, non utique obscurum, sed manifestè expositum, qualiter erga eos cauti vel humani esse debeamus. Hæc, piissime Domine, de multis pauca dixi de perfidia Iudæorum, de ammonitione nostra,

de læsione Christianitatis, quæ fit per fautores  
Iudæorum, nesciens utrum pervenire possit ad  
vestram notitiam. Tamen summopere necesse  
est ut sciat piissima sollicitudo vestra, quomodo  
nocetur fides Christiana à Iudæis in aliquibus.  
Dum enim gloriantur, mentientes simplicibus  
Christianis, quòd cari sint vobis propter Pa-  
triarchas; quòd honorabiliter ingrediantur in  
conspectu vestro, & egrediantur; quòd excel-  
lentissimæ personæ cupiant eorum orationes &  
benedictiones, & fateantur talem se legis au-  
ctorem habere velle, qualem ipsi habent; dum  
dicunt consiliatores vestros commotos adver-  
sùm nos eorum causa, eò quòd prohibeamus  
Christianos vinum eorum bibere; dum hoc ad-  
firmare nitentes, plurimas argenti libras ob-  
emptionem vini se ab eis accepisse jactant; &  
recursis canonibus non inveniri quare Christia-  
ni debeant abstinere à cibus eorum & potibus;  
dum ostendunt Præcepta ex nomine vestro, au-  
reis sigillis signata, & continentia verba, ut pu-  
tamus, non vera; dum ostendunt vestes mulie-  
bres, quasi à consanguineis vestris vel matro-  
nis Palatinorum uxoribus eorum directas; dum  
exponunt gloriam parentum suorum; dum eis  
contra legem permittitur novas Synagogas ex-  
truere; ad hoc pervenitur, ut dicant imperiti  
Christiani, meliùs eis prædicare Iudæos quam  
Presbyteros nostros; maximè cùm & supradicti  
Missi, ne Sabbatismus eorum impediretur,  
mercata, quæ in Sabbatis solebant fieri, trans-  
mutari præceperint, & quibus diebus deinceps  
frequentari debeant, in illorum optione posue-  
rint, dicentes hoc Christianorum utilitati pro-  
pter

pter diei Dominici vacationem congruere; cūm  
Iudæis magis probetur inutile: quia & hi qui  
propè sunt, Sabbato ementes victus necessaria,  
liberiùs die Dominico Missarum solemnitati-  
bus & prædicationibus vacant; & si qui de lon-  
gè veniunt, ex occasione mercati tam vesperti-  
nis quàm matutinis occurrentes officiis, Missa-  
rum solemnitate peracta, cum ædificatione re-  
vertuntur ad propria. Nunc igitur, si placet  
benignissimæ mansuetudini vestræ audire, di-  
camus quid Ecclesiæ Galliarum, & rectores ea-  
rum, tam Reges, quàm Episcopi, de discretio-  
ne utriusque religionis, Ecclesiasticæ videlicet,  
& Iudaicæ, tenuerint, tenendūmque tradide-  
rint, & scriptum posteris reliquerint, & quo-  
modo consonum sit auctoritati vel actibus apo-  
stolicis, & à veteri testamento originem tra-  
hens. Ex quibus demonstratur quàm detestabi-  
les habendi sint inimici veritatis, & quomodo  
peiores sint omnibus incredulis, Scripturis di-  
vinis hoc docentibus, & quàm indigniora om-  
nibus infidelibus de Deo sentiant, & rebus cœ-  
lestibus. Quæ omnia cum confratribus contuli-  
mus, & amplissimæ Excellentiæ vestræ præsen-  
tanda direximus.

Et cūm præcedens scedula dictata fuisset, su-  
pervenit quidam homo fugiens ab Hispaniis de  
Cordoba, qui se dicebat furatum fuisse à quo-  
dam Iudæo Lugduno ante annos viginti qua-  
tuor, parvum adhuc puerum, & venditum, fu-  
gisse autem anno præsentis cum alio qui similiter  
furatus fuerat Arelate ab alio Iudæo ante annos  
sex. Cūmque hujus, qui Lugdunensis fuerat,  
notos quæreremus, & inveniremus, dictum est

à quibusdam & alios ab eodem Iudæo furatos, alios verò emptos, ac venditos; ab alio quoque Iudæo anno præsentis alium puerum furatum & venditum. qua hora inventum est plures Christianos à Christianis vendi, & comparari à Iudæis, perpetrarique ab eis multa infanda que turpia sunt ad scribendum.

*EPISTOLA AGOBARDI,  
Bernardi, & Eaof Episcoporum, ad  
eundem Imperatorem, de Iudaicis su-  
perstitionibus.*

I. **C**H R I S T I A N I S S I M O & gloriosissimo Domino nostro Hludovvico Imperatori Perpetuo Augusto, Agobardus, Bernardus, & Eaor, indigni Episcopi, supplices servuli vestri. Sicut in præmissa scedula in breui significatum est, insolentia & importunitate Iudæorum in quorundam simplicium Christianorum pectoribus tranquillitas fidei propulsata compulit nos mansuetissimæ ac prudentissimæ sollicitudini vestræ scribere de cautela Christianorum, qualis esse debeat erga Iudaicam perfidiam, & superstitiones, atque innumerabiles errores, in quantum extremitas nostra invenire potuit ex usu & institutione priorum Gallicanarum Ecclesiarum rectorum. Et quidem si, sicut nunc multa necessitas poscit, ausi essemus aut valuissemus auribus vestris ingerere damna animarum, quæ per vasa diaboli, mentes videlicet Iudæorum, fidelibus inferuntur, adhiberi omnino juberet pietas vestra remedium. Nunc au-

tem (quia periculosissimum nobis est dicere & innotescere quòd sicut tempore passionis suæ Dominus noster Iesus Christus pacificaturus omnia per sanguinem crucis suæ, venditus est à falso discipulo, & comparatus à veris persecutoribus ad illudendum & crucifigendum, ita nunc comparetur ab impiis Iudæis quodam modo ad vituperandum licentiùs & blasphemandum) scribimus tantùm pauca de exemplis & statutis Patrum, ac deinde de actis apostolicis, five de Evangeliiis & veteris testamenti Scripturis, ad confirmandam piam gubernationis vigilantiam bonorum Pastorum.

II. Beatus Confessor Hilarius (de quo sanctus Hieronymus ita loquitur in epistola ad Lætam de instructione dicens: *Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasij epistolas & Hilarij libros inoffenso currat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingenijs, in quorum libris pietas fidei non vacillat. Ceteros sic legat, ut magis iudicet, quàm sequatur.*) qua cautela Iudæorum semper & hæreticorum devitaverit profana consortia, vita ejus scripta fatetur; quòd ita scilicet hujusmodi hostes Ecclesiæ fuerit execratus, ut non solùm convivium, sed ne salutatio quidem ei extiterit cum his prætereunti communis. De sancto quoque Ambrosio vitæ ejus sacra narrat historia, quod & hîc inferere dignum est, & Christianis mentibus scire religiosum: *In partibus, inquit, Orientis, in quodam castello à Christianis viris Synagoga Iudæorum & Lucus Valentinianorum incendio concremata sunt, propterea quòd Iudæi vel Valentiniani insultarent monachis Christianis. Valentinia-*

norum enim hereses triginta deos colunt. Sed de  
 huiusmodi facto Comes Orientis ad Imperatorem  
 relationem direxit, quia Imperator praeceperat ut  
 Synagoga ab Episcopo adificaretur. Sed huius  
 praecepti tenor cum ad aures pervenisset venerabi-  
 lis viri Ambrosij Episcopi, direxit ad Imperato-  
 rem epistolam, ( quia ipse in tempore excurrere  
 non poterat ) qua illum commonet, ut id quod ab  
 eodem statutum fuerat revocaretur, servarique  
 sibi deberi ab eo audientiam: qui si dignus non  
 esset qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset  
 qui pro illo audiretur, vel cui preces suas aut cuius  
 sua vota committeret. Paratum etiam se esse pro  
 tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui  
 praevaricatore[m] faceret Imperatorem, qui tam  
 injusta contra Ecclesiam praecepisset. Postea vero  
 cum Mediolanum revertitur, posito Imperatore  
 in Ecclesia, de eadem causa tractavit in populo.  
 in quo Tractatu introduxit Domini personam lo-  
 quentis, Ego te ex ultimo Imperatorem feci, ego  
 tibi exercitum inimici tui tradidi, ego copias quas  
 ille adversum te exercitui suo preparaverat dedidi,  
 ego inimicum tuum in potestatem tuam redegei, ego  
 de semine tuo supra salium regni constitui, ego te  
 triumphare sine labore feci; & tu de me inimici  
 meis donas triumphos. Cui descendentem ex aedra Im-  
 perator ait: Contra nos proposuisti hodie, Episcope.  
 At ille respondens, ait, non se contra ipsum, sed  
 pro ipso fuisse locutum. Tunc Imperator: Revera,  
 inquit, dura praeceperam contra Episcopum de  
 Synagoga reparanda. In monachos vero vindicandum  
 esse à Comitibus, qui in tempore aderant,  
 dicebatur. Quibus Episcopus: Ego quidem cum  
 Imperatore nunc ago. Vobiscum vero mihi aliter

Sozom. Histor.  
 Tripartii. l. 7.  
 c. 8. & l. 9.  
 c. 30.

agendum est. Atque ita obtinuit, ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur. Nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua Imperator illum agere debere testaretur. Cui Episcopus: Ergo ago fide tua. Respondit Imperator: Age fide mea. Quæ sponsione iterata, iam securus peregit sacerdos divina mysteria. Ecce duæ maximæ Ecclesiarum Dei columnæ, Hilarius videlicet, & Ambrosius. Alter ex his suo nos docet exemplo non à cibis solummodo, verum etiam à salutatione Iudæorum, quæ ab omnibus in invicem communiter exhibetur, diligentius abstinere debere. Alter verò, pro eo quòd exusta à Christianis Synagoga Iudæorum, labore Episcopi ab Imperatore iussa fuerat restaurari, morti se offerre non dubitat, & (quod leve forsitan putaretur, si hodie contingeret) vir sanctus in tantum exhorruit, & abominatus est, ut mortem pro tali negotio susceptam martyrij loco non dubitaret sibi esse cessuram. Prævaricatorem etiam indicavit tam injusta contra Ecclesiam præcipientem; & nisi sibi locum audientiæ reservasset, solitam pro eo intercessionem se intermissurum testatus est. Quid hinc igitur vir Dei credendus est fuisse facturum, si vidisset suo tempore Iudæorum infidelium causa canonica statuta convelli?

III. Nec sanctissimus Cyprianus, & homo Dei Athanasius, minore illos odio abominantur. Quin potiùs, sicut eorum litteræ testes sunt, infidelitatis eorum obstinatissimam impietatem supra omnem Gentilium execrantur errorem. Quorum religiosissimam fidem, & Christo deditam devotionem, omnes Ecclesiarum Galli-

canarum reverentissimi gubernatores secuti, totam Iudæorum ex integro pollutissimam societatem fugiendam penitus Christianis omnibus esse sanxerunt: quorum nos de hac re sententias ponere, & ex his quàm sit execrabile ipsorum consortium decrevimus è vestigio demonstrare.

IV. Alchimus Avitus Ecclesiæ Viennensis Episcopus, quàm eximius Doctor orthodoxus & facundus extiterit, penè tota novit Ecclesia Christi. Sanctus Apollinaris Episcopus Ecclesiæ Valentiniæ, quantus fuerit & sit, non solum gesta de eo scripta, sed & crebra ejus miracula usque hodie sublimiter testantur. Sanctus Gregorius Lingonicæ Ecclesiæ Episcopus, quantæ sanctitatis & veritatis fuerit, vita ejus scripta, & finis vitæ atque honor ei ab Ecclesia delatus, usque hodie testes sunt. Viventiolus Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, cujus doctrinæ fuerit, non solum ipsa, sed & aliorum de eo scripta testantur. Hi ergo cum aliis viginti reverentissimis Episcopis in nomine Domini congregati pro defensione & statu Ecclesiæ, de re superius memorata ita inter cetera statuerunt: *Si superius*

*Concil.*

*Epaon. c. 15.*

*rioris loci Clericus heretici cujuscunq; Clerici convivio interfuerit, anni spacio pacem non habeat, quod juniores Clerici si presumpserint, vapulabunt.*

*A Iudæorum verò conviviiis etiam laicos constitutio nostra prohibuit, nec cum ullo Clerico nostro panem comedet, quisquis Iudæorū convivio fuerit inquinatus. Et in conclusione statutorum suorum, confisi de præsentia Domini, sicut ipse ait, *Qui duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum*, ita sanxerunt: *Quæ circa hæc quæ superna inspiratione communi con-**

*Matth. 18.*

*sum ego in medio eorum, ita sanxerunt: Quæ circa hæc quæ superna inspiratione communi con-*

DE IVDÆICIS SUPERSTITIONIBVS. 71

sensu placuerunt, si quis sanctorum Antistitum, qui statuta presentia subscriptionibus propriis firmaverunt, necnon & quos eorum Deus esse voluerit successores, relecta integritate observationis excesserit, reum se divinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum esse. cognoscat.

V. Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, cuius meriti & doctrinæ fuerit, multa ejus præclara monumenta designant. Hic cum triginta quinque Episcopis & vicariis Episcoporum congregatis in unum in nomine Domini, pro defensione & confirmatione catholice veritatis, inter cetera statuit ita: *Omnes deinceps Clerici, sive laici, Judæorum convivium evitent, & nec eos ad convivium quis excipiat: quia cum apud Christianos cibus communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos à Christianis sumi, cum ea quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Catholici, quàm Iudæi, si nos his quæ ab illis apponuntur utamur, illi verò à nobis oblata contemnant.*

Concil. Agath.  
c. 40.

VI. Priscus Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, Artemius Senonicæ, Remedius Beturicæ, & sanctus Siagrius Æduorum Episcopus, cum ceteris pluribus, statuta ecclesiastica renovantes, ita definierunt: *Ne Iudæi Christianis populis iudices deputentur, aut Telonarij esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti. Ut Iudæis à Cena Domini usque prima Pascha, secundum Edictum bone recordationis Domni Childeberti Regis, per plateas aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur, & ut reverentiam cun-*

Concil. 1. Mansi.  
c. 13. & seqq.

ti, to-  
ocie-  
nibus  
ntias  
orum  
trate,  
enhs  
loxus  
clesia  
ccle-  
olum  
acula  
Gre-  
anra  
ripta,  
latus,  
clesia  
uerit,  
ta te-  
ntiffi-  
regat  
verius  
supi-  
ci con-  
abent.  
labur.  
nstitu-  
ro pa-  
erit re-  
orum,  
e, vbi  
eo, ibi  
Quæ-  
ni con-



etis sacerdotibus Domini vel clericis impendant,  
 nec ante sacerdotes confessum nisi ordinati habere  
 presumant. Quod si facere fortasse presumpserint,  
 à iudicibus locorum, prout persona fuerit, di-  
 stringantur. Et ut nullus Christianus Iudaeorum  
 conviviis participare presumat. Quod si facere  
 quicumque, quod nefas est dici, clericus aut secu-  
 laris presumpserit, ab omnium Christianorum  
 consortio se noverit coërendum, quisquis eorum  
 impietatibus fuerit inquinatus. Et licet quid de  
 Christianis qui aut captivitatis incurso, aut qui-  
 buscunque fraudibus, Iudaeorum servitio impli-  
 cantur, debeat observari, non solum canonicis,  
 sed & legum beneficijs jam pridem fuerit constitu-  
 tum: Tamen quia nunc ita quorundam querela  
 exorta est, quosdam Iudaeos per civitates aut mu-  
 nicipia consistentes in tantam insolentiam & pro-  
 teritiam prorupisse, ut nec reclamantes Christia-  
 nos liceat ad precium de eorum posse servitute ab-  
 solvi; idcirco presenti Concilio, Deo auctore, san-  
 cimus ut nullus Christianus Iudaeo deinceps de-  
 beat deservire; sed datis pro quolibet bono manci-  
 pio XII. solidis, ipsum mancipium quicumque  
 Christianus, seu ad ingenuitatem, seu ad servi-  
 tium, licentiam habeat redimendi. Quia nefas  
 est, ut quos Christus Dominus sanguinis sui effu-  
 sione redemit, persecutorum vinculis permancant  
 inretiti. Quod si adquiescere his quae statuimus  
 quicumque Iudaeus noluerit; quandiu ad pecuniam  
 constitutam venire distulerit, liceat mancipio ipsi  
 cum Christianis ubicunque voluerit habitare. Il-  
 lud etiam specialiter sancientes, quod si quis Iu-  
 daeus Christianum mancipium ad errorem Iudaei-  
 cum convictus fuerit persuasisse, & ipso mancipio

careat, & legali damnatione plectatur.

VII. Sanctus Lupus cum aliis viginti & quatuor Episcopis, vel Vicariis Episcoporum, similiter in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis pro causis corporis ejus, quod est Ecclesia, inter multa hæc etiam statuit: *Quia Deo propicio sub catholicorum Regum dominatione consistimus, à die Cœna Domini usque in secunda Sabbathi in Pascha, hoc est, ipso quatrinduo, procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco, vel quacunque occasione, miscere præsumant.*

Concil. III.  
Aurelian.  
c. 30.

VIII. In Concilio Laodiceno statutum est, quòd non oporteat à Iudæis, vel hereticis, ea quæ mittuntur munera festiva suscipere, nec cum eis festa celebrare, & quòd non oporteat azymam à Iudæis accipere, & communicare impietatibus eorum. Et in alio Concilio: *Ut si quis Iudæica pravitati jugali societate conjungitur, id est, sive Christiano Iudæa, sive Iudæo Christiana mulier carnali consortio misceatur; quicumque horum tantum nefas admisisse noscuntur, à Christiano cœtu atque convivio & à communione Ecclesiæ protinus segregentur.*

Concil. Laodiceen.  
c. 37. 38.

Concil. I. Aurelian.  
c. 19.  
& Arvern. I.  
c. 6.

IX. Et quia ecclesiastica statuta per apostolica acta firmanda sunt, & nova per vetera; videamus quid de beato Iohanne, quem diligebat Iesus plurimum, Apostolo, & Evangelista, antiquissimus & apostolicus Doctor ac Martyr Christi & Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus Irenæus dicat. Ait ergo: *Et Polycarpus verò, non solum Apostolorum in condiscipulatu eruditus, & conversatus cum multis qui Dominum viderunt, sed & ab Apostolis*

Apud Euseb.  
lib. 4. c. 14.  
Hist. Eccles.  
Vide Baronius  
ad an. 74.

74 S. AGOBARDI LIBER  
collocatus Asia apud Smyrnesium Ecclesiam  
Episcopus, quem & nos vidimus in prima no-  
stra aetate, (Diu etenim mansit, & valde sen-  
ectute præ ceteris longævus gloriosè & luculen-  
ter testatus obiit vita) hæc docuit semper quæ ab  
Apostolis didicit, quæ & Ecclesie tradidit, quæ  
& sola sunt vera; & sunt qui audierint eum quòd  
Iohannes Domini discipulus ad Ephesum dum  
pergeret lavatum, ut vidit intus Cerinthum, exi-  
iit à balneo non lotus, dicens quia timeret ne  
balneum corrueret, posito intus Cerintho veritatis  
inimico. Et ipse verò Polycarpus Marcioni quon-  
dam in faciem ipsi venienti, & dicenti, Cognosce  
nos, ei respondit, Cognosco, cognosco primitivum Sa-  
tana. Tantam Apostoli & discipuli eorum habuere  
reverentiam, ut ne verbo quidem communicarent  
cuiquam incaraxanti veritatem. Ad hæc si fortè  
aliquis dicit Cerinthum hæreticum fuisse, non  
Iudæum; noverit temporibus Apostolorum non  
fuisse hæreticos, nisi ex Iudæis & Samaritanis.  
Sicut fuerunt Simon & Menander, Hebion &  
Nicolaus. Sed ex erroribus supradicti Cerinthi  
cognoscat, quòd omnia sint Iudaica quæ astrue-  
bat. Prædicabat Dominum nostrum Iesum Chri-  
stum purum fuisse hominem, nec resurrexisse, &  
circumcidi oportere. Post resurrectionem dice-  
bat terrenum futurum esse regnum Christi in  
Hierusalem, & homines in carne iterum concu-  
piscentiis & vitiis subjectam conversationem  
habitueros ad legales festivitates rursù celebra-  
das, & hostias carnales iterum jugulandas. Sed  
& ex superscriptis statutis advertat multò dete-  
stabiliùs execranda & vitanda consortia Iudæo-  
rum, quàm ceterorum hæreticorum. Quia si

Vide Epipha.  
l. 1. to. 2. Hæ-  
ref. 28. &  
Iren. l. 1. c. 25.

omnes propterea detestandi sunt, quoniam inimici veritatis existunt; multò illi magis, qui majores exercent inimicitias. Re etenim vera proprium est hæreticorum in aliquibus communiter sentire cum Ecclesia, in aliquibus dissentire ab ea, hoc est, ex parte blasphemare, ex parte veritati consonare; Iudæorum autem ex toto mentiri, ex toto blasphemare Dominum & Deum nostrum Iesum Christum & Ecclesiam ejus, & nihil de eo verum credere nisi mortem. quam nec in eo verum credant, eò quòd mortem ejus ceterorum hominum mortibus similem dicant, hoc est, ex necessitate naturæ, non ex voluntate misericordiæ. Propter hoc maledicere eos Dominum & corpus ejus in omnibus orationibus suis; sicut & antè prophetatum est voce Domini dicentis ad Patrem: *Maledicent illi, & non benedices.* Si ergo hostes catholicæ fidei propterea execrandi sunt & cavendi, quia inimici sunt veritatis; super omnes infideles, incredulos, vel hæreticos, detestandi sunt Iudæi, quia nullum genus hominum invenitur cui ita libeat maledicere Dominum. Quod nobis non minime notum est, qui cotidie penè cum eis loquentes, mysteria erroris ipsorum audimus.

X. Dicunt denique Deum suum esse corporeum, & corporeis liniamentis per membra distinctum, & alia quidem parte illum audire ut nos, alia videre, alia verò loqui, vel aliud quid agere; ac per hoc humanum corpus ad imaginem Dei factum, excepto quòd ille digitos manuum habeat inflexibiles ac rigentes, utpote qui nil manibus operetur. Sedere autem more terreni alicujus Regis in folio, quod à quatuor

Aug. in Mart.  
l. 1. c. 11.

Luc. 23.

circumferatur bestiis, & magno quamvis palatio contineri. Cogitare etiam illum multa superflua & vana; quæ quia ad effectum cuncta venire nequeant, vertantur in dæmones. Sed & innumera infanda de Deo, ut diximus, suo prædicant, ac tale colunt simulachrum, quod ipsi sibi in cordium suorum simulachra finxerunt & statuerunt, non verum, inconvertibilem, atque immutabilem Deum, quem penitus ignorant. Litteras quoque Alphabeti sui credunt existere sempiternas, & ante mundi principium intrasse diversa ministeria, quibus eas oporteat in seculo præsidere. Legem verò Mosaycam multis annorum curriculis ante mundum fuisse scriptam. Necnon adfirmant plures esse terras, plures inferna, pluresque cælos: quorum unum, quod ipsi vocant Racha, id est, Firmamentum, molas Dei sustentare asserunt, quibus Manna sumendum angelis molatur in escam. Alterum verò appellant Araboth, in quo Dominum astruunt residere, & hoc esse in Psalmo secundum illos, *Iter facite ei qui caballicat super Araboth.* Habere Deum propterea septem tubas, quarum una mille ei cubitis metiatur. Et quid plura? Nulla Veteris Testamenti pagina, nulla sententia est, de qua vel à majoribus suis non habeant conficta & conscripta mendacia, vel ipsi usque hodie nova semper superstitione confingant, & interrogati respondere præsumant. Nam & in doctrinis majorum suorum legunt, Iesum juvenem quendam fuisse apud eos honorabilem, & magisterio Baptiste Iohannis eruditum, quamplures habuisse discipulos, quorum uni propter duritiam & hebitudinem sensus,

*Psal. 67.*

Kephæ id est Petræ nomen imposuerit. Et cùm expectaretur à populo ad diem festum, quosdam ei de schola sua pueros occurrisse, qui illi ex honore & reverentia magistri cantaverint, *Osanna* Ioan. 12. *filio David.* Ad extremum verò, propter plura mendacia accusatum, Tyberij iudicio in carcerem retrusum, eò quòd filia ipsius (cui, sine viro, masculi partum promiserat) lapidis conceptum intulerit. Inde etiam, veluti magum detestabilem, furca suspensum; ubi & petra in capite percussum; atque hoc modo occisum, iuxta quendam aquæductum sepultum, & Iudæo cuidam ad custodiam commendatum; noctu verò subita aquæductus inundatione sublatum, Pilati jussu per duodecim Lunas quæsitum, nec usque inventum. Tunc Pilatum huiusmodi ad eos promulgasse legem. *Manifestum est, inquit, resurrexisse illum sicut promiserat, qui & à vobis per invidiam peremptus est, & neque in tumulto, neque in ullo alio invenitur loco. Et ob hanc causam precipio ut adoretis eum. Quod qui facere noluerit, partem suam in inferno futuram esse cognoscat.* Hæc autem omnia ideo & seniores eorum confinxerunt, & ipsi stulta obstinatione lectitant, ut talibus commentis tota & virtutis & passionis Christi veritas evacuetur, & ut adoratio non ei ut Deo veraciter exhiberi debeat, sed Pilati tantùm lege illi delata sit. Sed & Petrum nequaquam per angelum, secundùm fidem nostram, de carcere eductum, sed Herodis misericordiâ, apud quem plurimùm ejus sapientia fuerit conlaudata. Denique & Christianos idola asserunt adorare, & virtutes quæ apud nos sanctorum intercessionibus obrinentur, à

diabolo fieri dicere non exhorrescunt. Pro quibus omnibus summo eos odio dignissimos esse quis ambigat; sicuti & odiendos illos demonstrat Scriptura, quæ dicit juxta Hebraicam videlicet veritatem: *Qui contradicunt tibi, scelerate elati sunt frustra adversarij tui. Nonne odientes te, Domine, odivi? Et contra adversarios tuos distabui? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Quo zelo Dei fervens beatus Hieronymus in quodam loco sic de ipsis ait: *Si expedit odisse homines & gentem aliquam detestari, miro odio aversor Concisionem. Usque hodie enim persequuntur Dominum nostrum Iesum Christum in Synagogis Satanae.* Itémque alibi: *Quanta, inquit, traditiones Phariseorum, quas hodie deuterofis vocant, & quàm aniles sint fabule, revolvere nequeo. Pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere. Dicam autem unum in ignominiam gentis inimica. Prepositos habent Synagogis sapientissimas, quosque fædo operi delegatos, ut sanguinem virginis sive menstruatae, mundum vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu probent. Præterea, quibus jussum est ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat; si quando eos juxta litteram cæperimus arctare ut non ambulent, non jaceant, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere & dicere, Rab Achibas & Simeon & Hillel magistri nostri tradiderunt nobis ut duo millia pedes ambulemus in Sabbato, & cetera hujusmodi, doctrinas hominum preferentes doctrinae Dei.*

XI. Cùm igitur tot tantisque immundiciis &

*Psal. 82.*

*Psal. 138.*

*Hieron. epist.  
151. q. 10.*

sensuum & operum polluantur, impletur prorsus in eis sermo Aggæi Prophetæ, quo præcipiente sibi Domino ita interrogat Sacerdotes: *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, panem videlicet, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, nunquid contaminabitur? Et responderunt Sacerdotes, & dixerunt. Contaminabitur. & respondit Aggæus & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum.* Quod autem horum omnium causa inter carnales Israëlitas & spirituales Iudæos necessariò divisionem fieri oportet, mysticè Dominus per Zachariam Prophetam designat dicens: *Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellatur funiculus, ut dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israël.* Nam, juxta Apostolum, quæ pars fidei cum infidele? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? In quo advertendum est, quia sicut infideles sponte sequentur ab ecclesiastica communione, ut in nullis velint mysteriis participare fidelibus; ita & fideles devotè separare se debent & convictu & societate infidelium; & si locis necdum valent, donec tempore ut & locis segregentur, sicut idem fideles, quod est Ecclesia, ad Deum clamant dicentes: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* quod tunc perfecte implebitur, quando fiet illud quod Iohannes Baptista Dominum prædicit esse facturum, sic loquens: *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ante passionem enim suam Domi-

Aggæi 2.

Zachar. II.

2. Corint. 6.

Psal. 26.

Matth. 3.

Luc. 3.

nus nolens adhuc sumere panem filiorum de mensa, & mittere canibus, aiebat discipulis: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israël.* Et mulieri Chananeæ loquebatur:

Matth. 15.

Luc. 7.

Ioan. 6.

Luc. 1.

1<sup>a</sup> Samuel. 2.

Esaï. 3.

Matth. 10.

Marc. 16.

Matth. 28.

*Sine prius saturari filios.* Ac si diceret. Offeratur primùm panis, qui de cælo descendit, filiis qui nutriendi sunt ad vitam; illisque assumptis, ceteri qui remanserint fastidiosi, cùm dixerint, *Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ab manducandum?* transeant ministri mensæ dominicæ ad canes esurientes, id est, Apostoli ad Gentes, sicut beata Maria Dei genitrix repleta Spiritu sancto prædixerat: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Et multò antè Anna genitrix Samuëlis: *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.* Et inter has medius Propheta Isaias ait: *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem, & ab Iuda, omne robur panis.*

XII. Quod tali ordine cœpit impleri. Dixit primùm Dominus prædicatoribus suis: *In vias gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Ascensurus verò ad cælos, ait: *Euntes in mundum universum, predicare Evangelium omni creatura.* Ut scilicet prius à Iudæa Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Cùmque hoc impleri cœpisset, & jam tempus advenisset ut implerentur prophetiæ de assumptione Gentium & repulsione Iudæorum, prædicantibus Paulo & Barnaba, & concurrentibus audire verbum Domini, sicut scriptum est

in Actibus Apostolorum: *Videntes turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lumen gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terra. Audientes autem Gentes, gavise sunt, & glorificabant verbum Domini; & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. Iudæi autem concitaverunt mulieres religiosas & honestas, & primos civitatû, & excitarunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu sancto. Item in eodem libro: Instabat, inquit, verbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum. Contradicientibus autem eis & blasphemantibus, excutens vestimenta sua dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. Et migrans inde, intravit in domum cuiusdam nomine Titi Iusti. Item ibi: Ingressus autem Synagogam Paulus, cum fiducia loquebatur per tres menses disputans, & suadens de regno Dei. Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos. In quibus verbis subtilissimè pensandum est, quia sicut paulatim crescebat numerus fidelium ex gentibus, & duriores fiebant Iudæi*

Actor. 13.

Matth. 10.  
Esai. 49.

Actor. 18.

Actor. 19.

Matth. 10.

adversus verbum Domini, desinebantque credere, sic paulatim ostensa est & segregatio prædicatorum ab eis. Nam & vestimenta sua & pedum pulverem excusserunt in eos; adimplentes præceptum Domini, qui discipulos ad prædicandum mittens, ait: *Et quicumque non receperit vos, nec audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Iudicij, quàm illi civitati.* Pulverem verò de pedibus jubentur excutere in testimonium laboris sui, quòd ingressi sint civitatem, & prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis ut nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui Evangelium spreverint. Sic enim à Doctoribus exponitur excussio pulveris, non solum in Evangelio, ubi præcipitur, sed & in Actibus Apostolorum, ubi perficitur.

Act. 21.

XIII. Et inde est quòd in primis quidem, quando segregati sunt in opus Paulus & Barnabas, per singulas civitates leguntur intrasse Synagogas Iudæorum, & Sabbatis disputasse de regno Dei, id est, quando collectæ fiebant Iudæorum. In secunda autem circumcissione per singula iterum loca Paulus & Silas leguntur suscepti esse à fratribus, & mansisse apud fratres. Vnde & ascendentibus Paulo & sociis eius Hierusalem, ierunt cum eis aliqui ex discipulis à Cæsarea, deducentes secum, ut hospitarentur, Mnasonem quendam Cyprium antiquum discipulum. Et cum venissent Hierosolyman, exceperunt eos fratres.

XIV. Atque istius regulæ districtiorem ser-  
 vat ubique Vas electionis, & magister Gentium  
 Paulus. quod diligenti cuique lectori, vel au-  
 ditori, facile est ex ipsis gestis ejus agnoscere.  
 Denique & in Philippis cum prædicaret, nec in *Actor. 16.*  
 domum Lydiae purpurariae, licet colentis Deum,  
 introisse legitur, aut mansisse, prius quam cum  
 omni domo sua in Christum credens baptizare-  
 tur, nec in illius similiter domum qui custos erat  
 carceris ingressus est, aut humanitatis ejus ob-  
 sequi usus est, donec etiam ipse credens Do-  
 mino, cum omni domo sua baptizatus, dignus  
 fieret tantum Apostolum habere convivam. Sed  
 & cum venisset Tyrum, non nisi cum discipulis *Actor. 21.*  
 septem scribitur mansisse diebus. Similiter au-  
 tem & apud Cæsaream in domo Philippi Evan-  
 gelistæ, cui quatuor erant filiae virgines prophe-  
 tantes, hospitio functus esse memoratur, ubi  
 & per aliquantum temporis, cum custodia  
 detineretur, sui illi tantummodo leguntur mi-  
 nistrasse. Apud Sidonem quoque humanè tra- *Actor. 27.*  
 ctatus à Julio Centurione, ad amicos tantum-  
 modo refertur isse, qui erant utique fideles, &  
 sui curam egisse. Itémque cum venisset Puteo- *Actor. 28.*  
 li; diebus septem apud fratres mansisse perhi-  
 betur. In ipsa autem Roma biennio in suo habi- *Actor. 29.*  
 tate conductu. Sed & semper tam ipsi, quam  
 his qui secum erant, necessaria quæque suis se *1. Cor. 4.*  
 fatetur manibus ministrare. Et cum apud alios  
 prima verbi Dei jaceret fundamenta, ab Eccle- *Actor. 28.*  
 siis fidelium invenitur accepisse stipendia. Ne-  
 cessaria verò, quæ ipsi & suis à patre Publij ce-  
 terisque Mitilensis insulæ cultoribus imposi-  
 ta narrantur, quis non videat nequaquam ab

infidelibus, sed à fidelibus fuisse suscepta? Nam & patrem Publij salvavit; & tantas apud eandem insulam infirmitatum curationes exercuit, ut dubium non sit plurimos ex loci illius incolis Christi fidei subjugatos, ac salutis suæ nuntium innumeris honoribus profecutos. Et hæc quidem ab Apostolo Paulo ita constat esse servata.

*Actor. 10.*

XV. Si quis verò & principis Apostolorum Petri gesta consideret, videbit etiam ingressum ipsum aliquando ad Cornelium, & eos qui cum ipso aderant, non priùs apud illos mansisse aut accepisse cibum, quàm sancto Spiritu repleti, & in Christi nomine baptizati, fidelium digni fierent convictu & societate. Sed & apud Ioppen, in domo fidelis cujusdam Simonis coriarij hospitatum, esurientem gustare voluisse, ubi & vas linteum plenum diversis animantibus cœlitus delapsum vidit, facta ad se voce: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris.* Hoc autem per ter factum esse narratur, ut per fidem sanctæ Trinitatis, cunctarum Gentium futura mundatio præsignaretur, sicuti jam pridem Apostolis à Domino præceptum fuerat, ut euntes docerent

*Marc. 16.*

omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Tales ergo jam erant & Gentiles illi, id est, credentes, baptizati, & mundati; cum quibus, ne scandalizarentur hi qui ex circūcisione crediderant, illis absentibus edebat, præsentibus edere dissimulabat. Vbi & illud fideliter considerandum est, quòd si talis ac tantus Apostolus, ne Iudæos fideles scandalizaret, qui adhuc carnalibus legis observationibus utebantur, à Gentilium fidelium se convivio subtrahebat, ne contra morem, scilicet

*Gal. 2.*

Iudæorum, videretur agere, cum Gentibus convivando; quo studio Christiani nunc à convictu se debent subtrahere infidelium Iudæorum, ne exemplo hujus illicitæ communionis scandalizent socios & participes Christianæ religionis, talique facto vel Iudaicis videantur superstitionibus favere, vel ecclesiastica convincantur statuta dissolvere.

XVI. Sed & in libris Clementis Ecclesiæ Romanæ Pontificis inveniuntur aliqua à supra memorato Apostolo de hujus rei observatione dicta, quæ in his inferere non incongruum existimavimus. Nam licet iidem libri judicentur apocryphi, pleraque tamen ex his testimonia inveniuntur à Doctoribus usurpata. Introducit ergo Clemens, cum necdum esset Baptismi gratia purificatus, & ob hoc à mensa Petri cum ceteris similibus sequestratus, eundem Apostolum loquentem sibi his verbis: *Non pro superbia, ô Clemens, convivium non ago cum his qui nondum purificati sunt. Sed vereor, ne fortè mihi quidem noceam, ipsis autem nihil prosim.* Et paulò post: *Nemo ergo vestrum contristetur, ait, à convivio nostro separatus. Parvo enim tempore sequestratur qui citò voluerit baptizari, multo autem qui tardius. Et ideo in vobis est quando velitis ad nostram convenire mensam, & non in nobis, quibus permissum non est sumere cum aliquo cibum, nisi priùs fuerit baptizatus.* Hæc de scriptis Clementis necessariò à nobis prolata sint, volentibus evidenter ostendere ab Apostolis traditam hujus rei antiquissimam observationem. Vera enim & ista ducenda sunt, & eò maximè quò ab apostolicis actibus in nullo videntur discrepare.

*Clemens in fine libri 2. Recognitionum.*

1. Thessal. 2.

XVII. An putandi sunt electi Christi Apostoli cum Iudæis infidelibus communem habere voluisse mensam, aut potuisse cum eis gratum convivium ducere, de quibus magister Gentium Paulus Thessalonicensibus ita loquitur: *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu; quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos Gentibus loqui ne salva fiant, ut impleant peccata sua semper, pervenit autem ira Dei super illos usque in finem. Cum talibus ergo (quos occifores Iesu & Prophetarum, persecutores Apostolorum, Deo non placentes, omnibus hominibus adversantes, peccata sua semper implentes, & sub ira Dei usque in finem seculi gementes, Vas electionis appellat) vel Apostoli credendi sunt commune habuisse convivium, vel fidelium quisque illud debet retinere consortium?*

Acto. 2.

XVIII. Verùm quoniam Ecclesiarum quæ in Iudæa erant in Christo, id est, eorum qui ex Iudæis crediderant, fecit Apostolus mentionem; videndum etiam de illis, utrum & ipsi hæc inter suos positi contribules observarent. Et facile hoc ex verbis sancti Lucae possumus agnoscere; quibus ait: *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una, nec quisquam horum aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulò post: Quotquot, inquit, possessores domorum aut agrorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apo-*

stolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Et post aliqua rursus ait: *Et erant omnes unanimiter in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eas populus.* Neque igitur communem cum eis ducebant victum, cum quibus non habebant ne commune quidem habitationis confortium. Omnia verò quæ ipsis erant communia, non undecunque quæsita, sed ex sola fidelium fuerant conlatione & oblatione suscepta. Sed & in maxima necessitate famis quæ sub Claudio facta esse memoratur, à Iudæis quidem incredulis, inter quos morabantur, nec expectisse aliquid nec accepisse referuntur; ab his verò qui ex Gentibus ad fidem Christi venerant, ne eos ministri, oblationes fidelium pertulerunt. Iam enim tempus instabat ut diceretur fidelibus omnibus, de omnibus inimicis fidei Christianæ: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, & Ave illi nolite dicere. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Secundùm quam sententiam, si is qui Ave illi dicit qui à doctrina apostolica existit alienus, communicat ab operibus ejus malignis; quanto ampliùs Iudæicæ communicat malignitati, qui cum his commune etiam convivium celebrat?

Actor. 11.

2. Jo. 12.

1. Joan. 4.

XIX. Et adhuc, ut ab iniquationibus hæreticorum vel Iudæorum Christiani fierent cautiores, dicebatur immo & semper dicitur eis: *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi Pseudo-propheta exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur*

1. Ioan. 2.

*Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus. Itémque ibi: Quis enim est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Ex quibus verbis evidentissimè declaratur non solum mendaces sed & Antichristos esse Iudæos, qui cum negent Filium, frustra confitentur Patrem; non autem confitentes Filium, nec Patrem habere merentur; super omnia verò Iesum, qui ex Maria Virgine ortus est, Christum esse negantes, Antichristi sibi & nomen pariter & eloquium vindicarunt. Nam quid aliud Antichristus dicturus est, nisi Iesum quidem non fuisse Christum, se autem esse quod ille, veluti falsò creditus fuerit. In hoc ergo solo blasphemiam Iudæorum superat Antichristus, quod se præsumit nuncupare Christum. In hoc autem Iudæi nequitiam æquiparant Antichristi, quod Iesum negare audent fuisse Christum. In tantum igitur Antichristi, in quantum blasphemiam ipsorum blasphemiam consonant Antichristi. Quis autem cum Antichristo mensam habeat communem, & Christo se asserat servare fidem? Aut quis non libenter eorum fugiat necessitatem, quos suum videat blasphemare Salvatorem? & quibus ipsum terribiliter audiat denuntiantem: *Va tibi Corozaim, Va tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes que factæ sunt in vobis, olim in cinere & in cilicio pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit quàm vobis in die*

1. Ioan. 2.

Math. 11.

jud  
cel  
Qu  
fac  
die  
mo  
X  
Ca  
re p  
tute  
aut  
tun  
gre  
tiis  
& S  
fact  
cèt  
tem  
com  
com  
& b  
trus  
illis  
tione  
huc  
per  
spiri  
da,  
Rev  
nien  
orna  
spiri  
sunt  
erit

judicij. Et tu Capharnaum, numquid usque in  
caelum exaltaberis? usque in infernum descendes.

Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ  
factæ sunt in te, fortè mansissent usque ad hanc  
diem. Veruntamen dico vobis, quia terra Sodo-  
morum remissius erit in die judicij, quàm tibi.

XX. Corozaim namque, & Bethsaida, &  
Capharnaum, urbes Galilææ, idcirco à Salvato-  
re planguntur, quòd post tanta signa, atque vir-  
tutes, non egerint pœnitentiam. Præferuntur  
autem eis Tyrus & Sidon, quòd naturalem tan-  
tùm legem calcaverint, istæ verò post trans-  
gressionem naturalis legis urbes idolatriæ & vi-  
tiis deditæ. Et præferuntur ideo, quòd Tyrus  
& Sidon & scriptæ etiam signa quæ apud eas  
facta sunt, parvi duxerunt. Et quia & revera, li-  
cèt & non audire veritatem & auditam con-  
temnere perniciosum sit, multò tamen & in-  
comparabiliter peius est auditam & cognitam  
contemnere, & contemptam persequi insuper,  
& blasphemare. Quod apertissimè beatus Pe-  
trus ostendit, de talibus dicens: *Melius fuerat*  
*illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cogni-*  
*tionem retrorsum reflecti.* Hoc autem multò ad-  
huc evidentiùs demonstratur verbis Domini  
per parabolam sic loquentis: *Cùm immundus*  
*spiritus exierit ab homine, ambulat per loca ari-*  
*da, querens requiem, & non invenit. Tunc dicit.*  
*Revertar in domum meam, unde exivi. Et ve-*  
*niens invenit vacantem, scopis mundatam, &*  
*ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios*  
*spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi, &*  
*sunt novissima hominis illius peiora prioribus. sic*  
*erit & generationi huic pessima.* Ex quo perspi-

2. Petri 2.

Matth. 12.

cum est immundum idolatriæ spiritum de corde quondam populi Iudaici, cum ei lex data est, recessisse, & ambulasse eum diu per loca arida, corda videlicet Gentilium infructuosa, atque in his securam sibi voluisse facere mansionem, Sed & inde in Adventu Christi, cunctis in eum credentibus nationibus, expulsus, ad pristinam domum reversus, quam invenit Deo quidem vacuam, carnalibus vero legis observationibus ornatam, à Pharisaicis traditionibus veluti mundatam. Et quia vidit eam sui habitatione dignissimam, septem alios nequiores se spiritus assumpsit; & cum his intima ipsius penetrans, novissima ejus peiora fecit prioribus. Majori quippe nunc domus illa plebis Iudaicæ demonum numero possidetur, blasphemans in Synagogis suis Christum, quam in Ægypto possessa fuerat ante legis notitiam.

XXI. Frustra igitur fautores Iudæorum, nos contristantes, & illos lætificantes, Patriarcharum causa honorandos eos putant, & Christianis dicere audent meliores; cum legamus etiam Agarenos, qui nunc corrupto vocabulo Sarraceni vocantur, Amalachitas quoque, & Madianitas, atque Afros, ex Abraham genus ducere, ideoque nec eos quisquam vel honorandos vel meliores Christianis debeat existimare. Non solum autem Iudæi meliores nobis esse nequeunt, sed & his, quos supra enumeravimus, nationibus peiores inveniuntur: quia illæ quidem nec legem acceperunt, isti vero post datam sibi legem, post missos ad se Prophetas, etiam Dei filium occiderunt. Si vero, juxta Apostolum, non qui filij carnis, hi filij sunt Dei, sed

Rom. 9.

qui filij Promissionis, hi estimantur in semine; Ergo Iudæi, quantum à promisso Abrahamæ semine, id est, Christo, existunt alieni, tantum & filiorum Dei gloria probantur indigni; nec Hierusalem cælestem matrem sortiti sunt, sed Hierusalem terrestris & Agar ancillæ, quæ in servitutem generat, filij remanserunt.

XXII. Sed quid dicit Scriptura? *Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Expulsus ergo est de paterna domo Iudaicus populus, atque ab hereditate filiorum Ecclesiæ, quæ per Christum libera effecta est, segregatus. Nam, sicut Dominus ait, *servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Omnis autem qui facit peccatum, servus est peccati; nec potest à jugo servitutis istius absolvi, nisi per Dei filium meruerit liberari.* Iudæi igitur (qui, dicente Domino, *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis*, ipsi quidem non credunt, se autem semen Abrahamæ esse & nemini unquam servisse gloriantur) non solum à libertate spiritus efficiuntur extranei, sed & carnalis servitutis inveniuntur obnoxij. Neque hoc solum; sed & filij perseverant diaboli; sicut & Dominus ostendit, dicens eis: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Annon patris sui desiderijs cotidie satisfaciunt, contemnentes Legem, spernentes Prophetas, persequentes Ecclesiam, atque ipsum Dei filium blasphemantes? Cùm hæc ergo ita se habeant, qua ratione servis Dei servi peccati, filiis liberæ filij ancillæ, heredibus exheredati, Dei filiis filij diaboli præferentur? quos Dominus per Esaiam Prophetam tanta à

Gal. 4.  
Genes. 21.

Ioan. 8.

Ioan. 8.

*Esa. 65.*

fervis suis divisione sejungit, ut & nomen pristinum eos amisisse, & inter mortuos ostendat jam deputatos esse, his verbis: *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei latabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei clamabunt præ exultatione cordis, & vos ululabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis, & dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis; & interficiet te Dominus Deus tuus, & servos suos vocabit nomine alio; in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen, & qui jurat in terra, jurabit in Domino, Amen.* Nomine itaque pristino populus Iudaicus spoliatus, & incredulitatis suæ gladio peremptus, electis Dei nomine alio vocatis, & Christiano vocabulo benedictis, atque in Christi sacramenta juratis, nec exæquari potest, nec corporali saltem victu sociari debet, quibus ne ipsa quidem servitutis appellatione meruit copulari.

*Psal. 14.**1. Ioan. 5.*

XXII. Si verò & hoc consideremus, quibus virtutibus tabernaculi Dei habitatio, & sancti montis ejus ascensio valeat comparari; non minimum inter eas virtus illa obtinet locum, quæ vir justus ita dignus est conlaudari: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem glorificat.* Fideles itaque & timentes Deum glorificandi sunt in omnibus atque honorandi. Populus autem ille qui rotus est positus in maligno, quique Dei virtutem & Dei sapientiam non cognovit, ac per hoc in malignitatis & erroris vetustate remansit, pro nihilo in conspectu omnium credentium est habendus;

nec pecuniæ aut divitiarum suarum causa cuiquam honorandus; sed ob earum potiùs cupiditatem lepra Naaman aspersus, ab omni fidelium populo per verum Eliseum aquis baptismatis expiato, ut verè sordidissimus atque immundissimus execrandus; insuper verò & anathema ei semper & ubique dicendum voce Apostoli, qui ait: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema maranatha.* Nam si is qui non amat Dei filium, anathema est; ergo qui odit, qui persequitur, qui blasphemat, multò adhuc detestabiliùs anathematizandus est. Si quis porrò amicitijs libenter ipsius indulget, nec ferre illi impiæ societatis auxilium erubescit, meritò & ipse audiet quod Iosaphat Rex per Prophetam Domini increpatus audivit: *Impio prebes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram Domini mereris.* Et quidem Rex ille in ceteris omnibus justitiæ testimonium accepit; sed in hoc solummodo offendit, Deique iram promeruit, quòd impiis & Deum odientibus auxilium præbere & amicitias non exhorruerit copulare. quos utique non esse alios, quàm eos, qui à domo David se ipsos exciderant, evidenter Scriptura designat; sicut & hi impij, & inimici semper Dei filio Iudæi, à veri David domo, quæ est Ecclesia, se ipsos segregant, & à regno Christi abscisi, regnum expectant ac desiderant Antichristi, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione adventus sui. Non solum autem ipsum, sed & istos qui voluerunt regnare super se, secundùm Evangelij parabolam, accepto cælorum regno, regre-

1. Cor. 17.

2. Par. 19.

2. Thessal. 2.

94 S. A G O B A R D I L I B E R  
diens jubebit interfici se praesente.

XXIV. Erepti igitur de potestate tenebrarum Christiani, & translati in regnum filij caritatis Dei, nullatenus debemus eorum convictu & societate pollui, à quorum erroribus omni genere probamur absoluti. Meminisse etenim nos oportet quomodo & Propheta ille, qui de Iuda missus fuerat in Bethel, ubi ab Ieroboam Rege Samariae vitulus aureus colebatur, à Deo prohibitus ne illic comederet vel biberet, etiam invitanti se Regi responderit: *Si dederis mihi mercedem partem domus tuae, non manducabo panem neque bibam aquam in loco isto.* Insuper & munera oblata sibi ab eodem Rege suscipere recusavit. Verum quia postea seductus à Pseudopropheta quodam, contra praecipuum Domini in eodem loco comedit & bibit, Dei iudicio leonibus traditus, & ab eo interemptus occubuit. Nam quòd in veteri testamento religiosi Iudaei diligenter abstinerunt à cibo & potu infidelium, ubi illis praecipuum sit à Domino non facile advertitur; documenta tamen extant de exemplis sanctorum, sicut de Daniele scriptum est: *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus ejus; & rogavit Eunuchorum praepositum, ne contaminaretur.* Concessumque est Danieli, Ananiae, Azariae, & Misaheli, cum ceteri pueri Israelitae vescerentur cibo regio. Quae observantia in tantum inolevit apud Iudaeos, ut tempore Adventus Domini generalis esset omnium; ita ut dicerent impij Iudaei Discipulis Domini: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* Et non solum hi, sed etiam infideles discepta-

1. Paralip. 13.

3. Reg. 13.

Daniel. 1.

Matth. 23.

rent adversùs Petrum, qui erant ex circumci-  
sione, dicentes: *Quare introisti ad viros præpu-  
tium habentes, & manducaſti cum illis?* Quibus  
reddita ratione subjunxit respondiſſe ſibi vo-  
cem de cælo ſecundò: *Que Deus mundavit, tu  
ne commune dixeris.* Ex quo tempore cœpit de-  
clarari quod beatus Paulus ſcripſit, *omnia mun-  
damundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil  
mundum.* Quo testimonio licet plerique in con-  
trarium utantur, id est, ut propter hoc putent  
ſibi licitum infidelium ſumere cibos, tamen no-  
ſtram omnino confirmat obſervantiam, ut im-  
mundorum immundas noverimus eſſe menſas,  
quia inquinatæ ſunt eorum & mens & conſci-  
entia. Quomodo autem immundæ non erunt  
menſæ, quorum maledicta ſunt horrea & apo-  
thecæ?

Actor. 11.

Tit. 1.

XXV. Sed quia ad maledictiones infidelibus  
Iudæis à Deo impoſitas ſcribendo pervenimus,  
paulò diligentius à ſuperioribus eas repeta-  
mus. Ait itaque Moyses omni populo Iſraëli-  
tico trans Iordanem in ſolitudinè campeſtri:  
*En propono in conſpectu veſtro hodie benedictio-  
nem & maledictionem; benedictionem, ſi obedie-  
ritis mandatis Domini; maledictionem, ſi non  
audieritis mandata Dei veſtri. Cùm introduxe-  
rit te Dominus Deus tuus in terram ad quam  
pergis habitandam, pones benedictionem ſuper  
montem Garizim, maledictionem ſuper montem  
Hebal, qui ſunt trans Iordanem.* Quæ verba  
cùm permagnificis ſenſibus plena ſint, non an-  
tè potuerunt impleri, niſi Iordane tranſito, id  
eſt, Baptiſmi Sacramento corpore Chriſti tactis  
aquis Iordanicis dedicato. Garizim namque, qui

Deuter. c. 27.

Galat. 1.

interpretatur divisio, significat apostolicam plebem divisam ab infidelium synagoga, sicut Paulus de se ipso ait: *Cum autem complacuit ei qui me segregavit de utero matris mee, ut revelaretur filium suum in me, non acquievi carni & sanguini.*

os. 1.

Hebal autem, qui interpretatur vorago vetus, significat carnalem & infidelem Synagogam, quæ non acquievit transire ad novitatem spiritus vivificantis, sed maluit remanere in vetustate litteræ occidentis. Ibique eis perseverantibus, supervenit immensus fluvijs maledictionum, juxta quod scriptum est: *Facti sunt principes Juda, quasi adsumentes terminum. Super eos effundam, quasi aquam, iram meam.*

Deuter. 28.

sicut omnes omnino promissiones & benedictiones requieverunt super apostolicam plebem; sic omnes comminationes & maledictiones confirmatæ sunt super Synagogam Satanae, ipso ordine rei quo Moyses prædixerat verbis dicens: *Maledictus eris in civitate, id est, Hierusalem; maledictus in agro mundi dispersus, maledictum horreum tuum.* Quod alia translata

sic dicit: *Maledicta apotheca tua, & omnes reliquie tue, maledictus fructus ventris tui, & fructus terre tue. Maledictus eris ingrediens, nascendo in hanc vitam; & maledictus egrediens moriendo videlicet, de hac vita.* Et post multa *Advena, inquit, qui tecum versatur in terra, id est, populus Gentium, ascendet super te, eritque sublimior, effectus videlicet filius Patriarcharum, & socius radicis olivæ & pinguedinis factus. Tu autem descendes, & eris inferior, abscisus ab olea, & ficcus in terra jacens, igni destinatus. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.*

Et nunc veniunt quidam per se eos conantes levare in caput unde ceciderunt, quasi non debeant esse in caudam. quod utique semper erunt, donec plenitudo Gentium introëat, & sic omnis Israël salvus fiat, omnis videlicet salvandus. Nam istorum qui nunc sunt infidelium auget Dominus plagas, *plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas.* quod alia translatio dicit, *plagas verissimas, & infirmitates veras.* Item ibi: *Et convertet in te omnes afflictiones Egypti quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper & universos langores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat.* Hoc profectò est quod suprâ de Evangelio posuimus: *Erunt novissima hominis illius, id est, ad quem spiritus immundus cum aliis septem se ipso nequioribus ingressus fuerit, peiora prioribus.*

Rom. 11.

Deuter. 28.

Matth. 12.

Psal. 83.

Ephes. 1.

Deuter. 27.

XXVI. Et hæc quidem breviter diximus, ac de multis pauca libavimus; strictim scilicet volentes ostendere quantis benedictionum muneribus dignam præparaverit Deus apostolicam plebem, quantisque è contrario maledictionibus suis meritis repletam infidelem repulerit Synagogam; quatinus & in electis impleretur quod prædictum fuerat. Etenim benedictiones dabit qui legem dedit, benedicens eos videlicet juxta Apostolum *in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo.* Et illis qui nec Moyse litteris, nec verbis Christi crediderunt, ac per hoc justo Dei judicio reprobati sunt, illa maledictio superveniret, quæ ab ipso Moyse ita fuerat præ-nuntiata: *Maledictus omnis qui non permanserit in verbis legis hujus, ut faciat ea,* nolens au-

Deuter. 30.

dire quod in ea scriptum est: *Juxta te est verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.* quod Apostolus sic exponit: *Hoc est verbum fidei quod predicamus. Quoniam si confessus fueris in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quod Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Rom. 10.

Matth. 24.

XXVII. Breviter ergo ista à nobis perstricta sint. Nam & cedendum est majoribus, subtilioribus, ac facundioribus, quibus per facile est altiora & occultiora hujus rei pandere. quod jam jamque fieri oportet, frigescente multorum caritate, abundante ubique iniquitate, incredulorum convalescente improbitate, Antichristi fallacia adpropinquante. Atque utinam juberet religiosissimi Imperatoris industria alicui de suis ut colligeret omnia quæ à Magistris Ecclesiarum in Scripturis sanctis de Antichristo intelligenda, vel exposita, vel signata sunt. Valeret profectò ad cautelam fidei, ad erectionem spei, ad roborandam & commendandam dulcedinem dilectionis Christi. Amen.

CONSULTATIO ET SUPPLICATIO  
Agobardi Episcopi ad Proceres  
Palatij, De baptismo Judaicorum  
mancipiorum.

REVERENDISSIMIS ac beatissimis  
Domnis & Dominis & Patribus sanctis  
Adalardo, Vvalæ, & Helisacharo. Nuper

cum à Palatio tempus redeundi nobis jam fuisset indultum, suavissima dilectio vestra sedit, & audivit me mussitantem potius quam loquentem contra eos qui querelas Iudæorum astruebant. Cumque audita fuissent à vobis & modificata quæ dicebantur altrinsecus, surrexistis, & ego post vos. Vos ingressi estis in conspectu Principis. ego steti ante ostium. Post paululum fecistis ut ingrederer. Sed nihil audivi, nisi absolutionem discedendi. Quid tamen vos dixeritis clementissimo Principi præfata de causa, qualiterque acceperit, quidve responderit, non audivi. Ad vos postea non accessi, præpediente pudore ignavo, & molestia fatigante me: quæ mihi utique accessit, non tam ex involutione rerum, quam ex ignobilitate mentis. Quamobrem recessi turbatus, arripui iter incertus, perveni domum confusus, resedi afflictus. Causas verò hujus afflictionis scriberem. Sed timeo mansuetudini vestræ laborem ingerere. Portitor tamen harum litterarum potest vobis edicere, si patitur longanimitas vestra. Aliqua sanè, quæ silenda non puto, propter quæ mihi & ad fidissimam paternitatem vestram dirigo, innotescito prudentiæ vestræ. Primùm, quod summo pere mihi necesse est scire, & ut existimo, etiam omnibus, ut dare dignemini consilium, quod divino congruat operi, quid faciendum sit de mancipiis Iudæorum Ethnicis, quæ illi comparaverunt, & nutriti apud illos, inter nos discunt linguam nostram. Audiunt de fide, vident celebrationes solemnitatum; & per hæc compunguntur ad amorem Christianitatis, & desiderant fieri in corpore Ecclesiæ, membra Christi; &

confugiunt ad Ecclesiam, baptismum postulantes: Vtrum videlicet debeamus illis hoc abnegare, an præbere, ubi possumus. De qua re ego quidem talem teneo rationem. Omnem profectò hominem creaturam Dei esse, & in unoquoque homine, quamvis seruo, majorem portionem habere Dominum Deum, qui in utero creavit, ad lucem hujus vitæ produxit, concessam vitam custodivit, sanitatem servavit, quam illum qui viginti aut triginta solidis datis, fruitur corporis ejus servitio. Nec est qui dubitet quòd unusquisque servus, membrorum corporis opera carnali domino debens, mentis religionem soli debeat creatori. Propter quod omnes sancti prædicatores, socij Apostolorum, docentes omnes Gentes & baptizantes, non expectaverunt dominorum carnalium licentiam, ut servos baptizarent, quasi non eos oporteret baptizari, nisi eis permittentibus; sed scientes, & prædicantes, quòd servi & domini unum habeant Dominum Deum in cælis, omnes baptizaverunt, omnes in uno corpore redegerunt, omnesque fratres & filios Dei esse docuerunt, ita tamen ut unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneret, non studio, sed necessitate, sed & si qui possent liberi fieri magis uterentur. In promptu est etiam ratione colligere, si qui Ethnicorum ad Christum fugiunt, & non recolligimus, sed repudiamus propter carnales dominos, esse impium & crudele, cum humanæ animæ nullus esse possit dominus, nisi conditor. Sed & illud putamus esse considerandum, quia si religiosus Imperator adversus Gentes, quæ a Christi nomine alienæ sunt, arma movet, &

*Coloss. 4.*

*1. Corint. 7.*

DE BAPTISMO IVD. MANCIPIOR. 101  
victor effectus, subicit eos Christo & sociat reli-  
gioni, opus est pietatis & laude dignum; quo-  
modo negligendum est, si inter subjectos tales  
existant qui desiderent baptismum. Neque hoc  
dicimus ut Iudæi perdant pretia quæ in talibus  
dederunt; sed quia offerimus pretia secundum  
statuta priorum; & illi non recipiunt, putantes  
sibi favere magistratus Palatij, & melius illis  
cupere quam ceteris qui supradicta asserunt.  
Hæc sunt de quibus precamur vestrum confi-  
lium aut jussionem per vos Domini Imperato-  
ris. Quod utique necesse non esset, si ille qui  
magister est Iudæorum ita attenderet ut vos ei  
faciendum dixistis. Nam si secundum vestram  
jussionem ille consideraret fideliter ministerium  
nostrum, sicut nos ei honorem exhibere volu-  
mus in ministerio suo, nulla esset necessitas in-  
juriam facere interrogando, nisi propter aug-  
mentum doctrinæ. Ceterum de causis Iudæo-  
rum non esset ulla contentio, aut discordia, si ille  
rationabiliter agere voluisset. Nunc autem fa-  
cite nobiscum secundum caritatem quam diffu-  
dit Spiritus sanctus in cordibus vestris, & adhi-  
bere consolationem servo vestro; quia sub mag-  
no timore diversis anxietatibus torqueor. Si  
enim petentibus baptismum Iudæis aut servis  
eorum negamus, timeo damnationem divinam;  
si damus, timeo offensionem humanam, & tam  
infestas læsiones domus nostræ. De quibus læ-  
sionibus & discordiis, quia in his litterulis scri-  
bere indignum duxi, parvum breviculum pie-  
tati vestræ direxi, per quem cognoscere valea-  
tis quæ sint. Neque dignetur felix mansuetudo  
vestra mihi irasci; quia importunus vobis existo

102 S. AGOBARDI EPISTOLA  
talia flagitando; sed considerate quia causa est  
Ecclesiae, ratio fidei, & opus divinum. Insuper  
& mihi omnis fiducia in vestra sanctitate. Et  
idcirco assumite sanctum laborem propter æter-  
nam retributionem, & adjuvate Ecclesiam no-  
stram, opem ferendo, & instruendo, quoniam  
debitores estis propter multitudinem fiducia  
quam habet in vobis.

---

EPISTOLA EIVSDEM  
*exhortatoria ad Nibridium Episcopum  
Narbonensem, de cavendo convictu &  
societate Iudaica.*

**B**EATISSIMO Patri Nibridio Agobardus  
in Deo Patre & Domino Iesu sempiternam  
salutem. Si locorum vicinitas & rerum tran-  
quillitas fineret, vellem quidem frequentius  
cùm paternitate vestra os ad os loqui, & sive in  
privatis seu in publicis necessitatibus, consilio  
semper vestræ sanctitatis institui. Sed quoniam  
prohibent interjacentium spatia longinqua ter-  
rarum, quod verbis nequeo, litteris molior  
adimplere; meam vobis immo Ecclesiae Dei  
non minimam necessitatem in notitiam perfe-  
rens, & in quibus ipse parum fortis invenior,  
virtutis vestræ præsidio, quasi scuto validissimo  
& muro inexpugnabili, desiderans communiri.  
Sciat itaque paternitatis vestræ reverenda cari-  
tatis me anno præsentis, dum parœchiæ nostræ  
populos debita sollicitudine circumirem, & si  
qua in his depravata videbantur, pro viribus

quas Dei gratia largiebatur, veritatis ratione  
 corrigerem, denuntiasse omnibus & præcepisse  
 secundum legem Dei & sanctorum canonum  
 instituta, ut se, tanquam veri cultores Christia-  
 ne fidei, omni observantia ab infidelium con-  
 sortio segregarent, non utique Gentilium, qui  
 inter nos minimè commorantur, sed Iudeorum,  
 qui in nostra hac & in nonnullis aliis vicinis ur-  
 bibus videntur esse diffusi. Quia & satis indig-  
 num ac fidei nostre inconueniens esse videba-  
 tur, filios lucis tenebrarum societate fuscari, &  
 Ecclesiam Christi, quam decet sine macula &  
 ruga sponsi celestis amplexibus preparari, ma-  
 culosè, rugosè, ac repudiatè Synagogè contu-  
 bernio decolorari. Et verè absurdum est virgi-  
 nem castam, uni viro Christo desponsatam,  
 meretricis dapes expetere, & per communio-  
 nem cibi ac potus non solum in diversa flagitia  
 corruere, verùm etiam fidei periculum sustine-  
 re; dum ex familiaritate nimia, & assidua coha-  
 bitatione, aliqui de grege Christiano Sabbatum  
 quidem cum Iudæis colunt, diem verò Domi-  
 nicam illicita operatione violant; nec & jejunia  
 statuta dissolvunt; pleræque mulierculæ, ancil-  
 larum jure, aliæ ab ipsis velut mercenariæ deti-  
 nentur; nonnullæ etiam corrumpuntur; omnes  
 verò hujusmodi vel dominationi, vel libidini,  
 vel deceptioni eorum in commune prostituun-  
 tur; adnitentibus in hoc ipsum diaboli filijs,  
 odio subdolo, & fallacibus blandimentis; dum  
 se Patriarcharum progeniem, justorum genus,  
 Prophetarum sobolem superbo ore proloquun-  
 tur; ignorantibus miseris, qui hæc audiunt,  
 quòd ipsi eorum Prophetè gentem peccatricem,

*Esaï. 1.**Ezech. 16.**Matth. 4.**Matth. 12.*

populum gravem iniquitate, semen nequam, filios sceleratos, patrem ipsorum Amorrhæum, matrem Cetheam, Sodomorum principes, & Gomorrhæe populum soleant appellare. Sed & illud pariter nescientibus, quod præcursor Domini Iohannes genimina eos dixerit viperarum, & ipse Dominus frequenter illos nunc serpentes, nunc generationem malam, pravam, perverfam, atque adulteram vocitarit. Vnde & in tantum erroris pelagus nonnulli ex vulgaribus ac rusticis abducuntur, ut hunc solum Dei esse populum, apud hos piæ religionis observantiam, ac multò certiolem, quàm nostra sit, fidem, & seducto suspicentur animo, & ore impio inter pares & consimiles fateantur. Quod malum cum in plebe nobis commissâ videremus excrescere, atque in dies singulos ipsa jam consuetudine propagari, studuimus pro viribus lapsis manum porrigere, & errantes animos ad veritatis lineam revocare; æquum credentes, ut quomodo ipsis quondam lex Dei præcipiebat ne cum Gentibus matrimonium copularent, néve cum eis commune convivium celebrarent, ne videlicet per consortia nuptiarum & communionem ciborum à divino quidem cultu deficerent, idolatriæ autem jugo libertatem animi inclinarent; ita nunc & noster populus inhibeatur, ne cum Iudæis infidelibus vescendi participium, consortium bibendi, habitandi contubernium habere præsumant; ne sub prætextu societatis hujus à simplicitate quidem Christianæ fidei exorbitent, Iudaïcis verò fabulis adtendentes, inextricabilibus errorum laqueis implicentur; cùmque nos neminem illorum hu-

manitate tanta & benignitate, qua erga eos utimur, ad spiritalem fidei nostræ virtutem valeamus adducere, pars aliqua ex nostris, dum libenter carnalibus eorum victibus communicat, spiritualibus epulis capiatur. Hanc etenim divinæ legis providentiam patres nostri institutis canonicis videntur esse secuti. quorum nos præceptis, in quantum potuimus, devotis animis obsequuti sumus; periculum scilicet animarum quæ nobis commissæ sunt pertimescentes, & earum sanguinem de nostris manibus in divino exquirendum iudicio formidantes. Tentaverunt porro quidam Missi, & Evrardus maximè, qui Iudæorum nunc magister est, religiosum hoc opus nostrum destruere, ac sub obtentu Edictorum imperialium labefactare. Quibus nos neque ad horam cessimus, ut divinæ legis veritas, & sanctorum Patrum constitutio veneranda, immobili apud nos atque inconvulsa observatione perduret. Nec verò tam feralibus jussis ausi sumus acquiescere, aut religiosissimum ac Deo dignum Principem quippiam divinæ legi contrarium, sacris canonibus adversum, salutis Ecclesiæ periculosum, credere potuimus præcepisse; cuius ad hoc semper invigilat fidelis industria & pietas admiranda, ut lex Dei ubique servetur, ut canonica instituta perpetua vigeant firmitate, ut salus ac virtus Ecclesiæ toto terrarum orbe gloriosius in dies singulos convalescat. Vnde & tu, Pater beatissime, qui columna nunc in omnibus & firmamentum domus Dei crederis, sta super petram ecclesiasticæ observationis, immobilis, intrepidus, inconcussus, floccipendens adversariæ tempestatis ventos, im-

*Math. 16.**Galat. 3.**Galat. 3.*

bres, ac flumina; quæ fundamento quidem domus Dei inlidi possunt, ipsam verò subruere non possunt: quia nec portæ inferi adversus eam prævalere queunt. Scientes itaque, pater venerabilis, omnes qui sub lege sunt, sub maledictione esse, & indutos maledictione, sicut vestimento, quæ intravit sicut aqua in interiora eorum, & sicut oleum in ossa eorum, maledictos quoque in civitate, & maledictos in agro, maledictos in ingressu, & maledictos in egressu, maledictum fructum ventris & terræ & pecorum eorum, maledicta eorum cellaria, horrea, apothecas, cibos, & ipsorum ciborum reliquias, nec posse quempiam eorum ab hoc tam immani tamque horribili maledicto legis eripi, nisi per eum qui pro nobis factus est maledictum. Sciens etiam in eos qui prædicationem apostolicam nolunt recipere, non solum nullo eorum utendum, sed & pulverem civitatis domus eorum de pedibus excutiendum, remissiúsque in die iudicij Sodomæ & Gomorrhæ futurum quàm illis, permane & tu in divinæ legis observantia, persiste in canonicis institutis, tene quos potes, terre quos potes, noli dicere, nec sinatis quemquam fidelium tantis maledictionibus tamque horrendis damnationibus per maledictorum & condemnatorum prophana consortia communicare. Quin potiùs & ad vicinos coepiscopos ac fratres cohortationum tuarum munimenta trans mitte, ut pari omnium consensu & labore communi tantum hoc malum de Christi Ecclesiis auferatur. Impleamus Matris Ecclesiæ gaudium, unum omnes dicentes, unum sapientes, unum sentientes, id est, certamen habentes,

quia & hoc benignissimi Redemptoris nostri desiderium esse cognoscimus; secundum quod pro nobis Patrem ipse precatur, dicens: *Non pro his autem rogo tantum, sed & pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Tanta verò nobis est de parte vestra fiducia, ut credamus opus hoc vel conatu vestro staturum, vel vestra, quod absit, remissione lapsurum. Deus autem patientiæ & solatij det nobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Ioan. 17.

*LIBER EIVSDEM AD præfatum Imperatorem, adversus legem Gundobadi, & impia certamina quæ per eam geruntur.*

I. **O**BSERO imperturbabilem mansuetudinem vestram, & tranquillissimam prudentiam, Domine Imperator benignissime, ut has quas offero paginulas infatigabiliter legere non dedignemini, in contemplationem summæ & incommutabilis illius Veritatis, quæ est Christus Dominus noster; de cuius dictis & legibus hæc sumpta sunt; quique amanter & vigilanter vestrum protegit & juvat Imperium. Neque prædicandam tranquillitatem vestram offendat, quòd minimus omnium, excellentiori hominum hæc legenda præsentat. Neque enim

108 S. AGOBARDI LIBER  
est aliud nisi quod vos optimè & sublimitis  
noftis.

II. Deus, Dei filius, homo propter homines  
factus, viam salutis demonstrans, & electis dis-  
cipulis magisterium vitæ commendans, ascen-  
*Math. 28.* surus ad cælos, ait illis: *Euntes in mundum uni-*  
*versum, prædicate Evangelium omni creatura.*  
*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

*Marc. 16.* Et iterum: *Ite, docete omnes Gentes, baptizan-*  
*tes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*  
*docentes eos servare omnia quaecunque mandavi*  
*vobis.* Illi autem profecti, prædicaverunt ubi-  
que Domino cooperante; annuntiatæque est ab  
eis omni creaturæ, id est, cunctis nationibus  
mundi, una fides indita per Deum, una spes  
diffusa per Spiritum sanctum in cordibus cre-  
dentium, una caritas nata in omnibus, una vo-  
luntas, accensum unum desiderium, tradita una  
oratio; ut omnes omnino ex diversis gentibus,  
diversis conditionibus, diverso sexu, nobilitate,  
honestate, servitute diversa, simul dicant uni

*Math. 6.* Deo & Patri omnium: *Pater noster qui es in cæ-*  
*lis, sanctificetur nomen tuum;* sicut unum pa-  
trem invocantes, ita unam sanctificationem  
quærentes, unum regnum postulantes, unam  
adimplerionem voluntatis ejus, sicut fit in cælo,  
optantes; unum sibi panem quotidianum dari  
precantes, & omnibus dimitti debita. Neque  
enim quemquam docere potuerunt magistri  
mundi, lux mundi, sancti Apostoli, *Dimittite*  
*michi debita mea, aut, & ne me inducas in tenta-*  
*tionem, sed libera me à malo;* sed unum pro om-  
nibus, & omnes pro singulis clamare. O cælestis  
fraternitas, ô sempiterna concordia, ô insec-

bilis unitas, ab uno auctore derivata, ad unum rerum omnium relata, per quam lætantur cœli, exultat terra, movetur mare, & plenitudo ejus, gaudent campi, & omnia quæ in eis sunt, omnes gentes plaudunt manibus, jubilant Deo in voce exultationis.

*Psal. 95.*

*Psal. 46.*

III. Et quàm decenter, quoniam omnes fratres effecti, unum Patrem Deum invocant, servus & dominus, pauper & dives, indoctus & eruditus, infirmus & fortis, humilis operator & sublimis Imperator. Iam nemo alium dedignatur, nemo sub alio se despicit, nemo super alium extollitur. Quoniam unus panis, unum corpus Christi, immo unus Christus secundum Apostolum sumus; expoliantes nos veterem hominem cum actibus ejus, & induentes novum eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scythæ, Aquitanus & Langobardus, Burgundio & Alamannus, servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus. Omnia enim illorum sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. *Omnia enim, dicitur illis, vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et iterum: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & uno spiritu omnes potati sumus.* Et ne infideliter aliquis cum perpauca se putaret uno spiritu potatum dicit: *Et*

*1. Cor. 10.*

*Colof. 3.*

*1. Cor. 3.*

*1. Cor. 12.*

nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones verò gratiarum sunt, atque operationum. Idem autem Dominus, & idem Deus, qui operatur omnia in omnibus; atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Nullus ergo horum est hospes & advena, sed sunt cives sanctorum & domestici Dei, superedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; & qui erant longè, facti sunt propè in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. Et veraciter dicere possumus, qui fecit omnia unum, & medium parietem macerie solvens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semetipso; & veniens evangelizavit pacem his qui longè fuerunt, & pacem his qui propè: quoniam per ipsum habent accessum ambos in uno Spiritu ad Patrem.

IV. Si ergo Dominus propterea passus est, ut in sanguine suo faceret propè eos qui longè erant, & paries divisionis jam solutus, & interfecta est inimicitia in illo, & omnes reconciliati sunt in uno corpore Deo, & in tantum unum corpus effecti in uno spiritu, ut Christus potius quam Christiani dicantur, sicut suprascripta apostolica sententia declarat dicens: *Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus;* (Non enim ait, *Ita & Christiani,* sed *Christus*) cupio per pietatem

ADVERSUS LEGEM GUNDOBADI. III

vestram nosse, si non huic tantæ divinæ operationis unitati aliquid obsistat tanta diversitas legum, quanta non solum in singulis regionibus aut civitatibus, sed etiam in multis domibus habetur. Nam plerunque contingit ut simul eant aut sedeant quinque homines, & nullus eorum communem legem cum altero habeat exterius in rebus transitoriis, cum interiùs in rebus perennibus una Christi lege teneantur. Et cum fortè contingit ut omnes sint veraciter Christiani, fidei veritatem amantes, & invicem sibi, ut carissimi fratres, credant, & nemo alterius testimonium spernat, cum se bonis locutionibus ædificant; si subitò contigerit alicui ex ipsis disceptatio in judiciis, nullum poterit habere testem de suis carissimis sociis, cum quibus simul gradiebatur, eò quòd non recipiatur testimonium alicujus super Gundobadum, & cetera similia.

V. Hic mihi succurrat, obsecro, benignissime & sacer Imperator, patientia vestra; neque indignetur magnanimitas vestra, quòd indignus digna loquor, & pusillus grandia; quia per ista forsitan inemendabilia sunt volo pervenire ad ea quæ necessaria & eleemosynæ vestræ magno opere apta sunt. Si autem incongrua sunt quæ dico, corripiat me justus in misericordia, id est, bonitas vestra, & corripientem non prodat. Mihi tamen servo vestro, licet ultimo, tamen fideli, incongruum videtur, ut Christianus de Christiano, ac per hoc frater de fratre testimonium perhibere non possit. Sicut enim suprà dictum est, omnes unum patrem habentes Deum, fratres sunt, & filij Dei. Hoc etiam Evangelium

apertè loquitur. Hinc namque fit, cùm vir iustus super injustum testificari non permittitur, eò quòd alterius legis sint secundùm seculum, qui unius legis esse deberent secundùm Deum. Credo etiam quòd nullatenus hæc agantur sine damno illius unitatis & concorporationis quæ suprâ demonstrata est sententiis apostolicis. Nam si de testimonio repellendus est aliquis, ille repellatur potiùs qui alterius fidei vel sectæ est, sed & ille cum quo Apostolus nec cibum

1. Cor. 5.

sumere docet dicens: *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejus-*

2. Theff. 3.

*modi nec cibum sumere.* Et iterum: *Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, neque commisceamini,* utique ad mensam. Qui omnes, nisi per satisfactionem pœnitentiæ regressi fuerint in corpus Christi, sine dubio in corpore remanebunt diaboli, ac per hoc erunt in ejus regno & civitate.

VI. Hic profectò debet esse discretio & divisio inter regnum & regnum, id est, Christi & diaboli, inter civitatem Dei & civitatem diaboli, quæ faciunt duas plebes. Nam civitas Dei continet populum acquisitionis, civitas diaboli populum perditionis. Quòd si hominibus impossibile est omnes discernere qui sint de civitate Dei, qui verò de civitate diaboli, saltem quot evidentissimè ex fructibus propriis cognoscunt, & litteræ apostolicæ à corpore Christi separatos docent, reiciant de testimonio. Quos autem una corporis Christi compago tenet, & plerumque non solum unius corporis membrum, verùm etiam unius membri sunt membra, cur de

mutuo

ADVERSUS LEGEM GUNDOBADI. 113  
mutuo repelluntur testimonio? Quæ utilitas est,  
ut propter legem quam dicunt Gundobadam,  
cujus auctor extitit homo hæreticus, & fidei ca-  
tholicæ vehementer inimicus, (cujus legis ho-  
mines sunt perpauca) non possit super illum te-  
stificari alter etiam bonus Christianus? Ex qua  
re oritur res valde absurda, ut si aliquis eorum  
in cætu populi aut etiam in mercato publico  
commiserit aliquam pravitatem, non coargua-  
tur testibus, sed sinatur perjurare, tanquam  
non fuerint per quos veritas posset agnosci.  
Hic manifestè apparet damnosam esse damna-  
bilem legem.

VII. Si autem placeret Domino Nostro sa-  
pientissimo Imperatori, ut eos transferret ad  
legem Francorum; & ipsi nobiliores efficeren-  
tur, & hæc regio ab squaloribus miseriarum  
quantulumcunque sublevaretur. Horum enim  
causa accidit ut frequenter non solum valentes  
viribus, sed etiam infirmi & senes laceffantur  
ad certamen & pugnam, etiam pro vilissimis re-  
bus, quibus feralibus certaminibus contingunt  
homicidia injusta, & crudeles ac perversi even-  
tus judiciorum, non sine amissione fidei & cari-  
tatis, ac pietatis, dum putant Deum illi adesse  
qui potuerit fratrem suum superare, & in pro-  
fundum miseriarum deicere. Hic est pessimus  
error, & ordo confusus, ut pro talibus perversi-  
tatibus & scriptura veritatis contemnatur, &  
concordia Christiana dispereat, & de Deo, qui  
natura bonus est, tam indigna sentiatur, ut fa-  
veat rapacibus, & advesetur miseris.

VIII. Doctrina Christi docet: *Qui vult te- Matth. 5.  
cum judicium contendere, & tunicam tuam tolle-*

1. Cor. 6.

re; remitte ei & pallium. Et iterum: *fam quidem omnino delictum est, quod iudicia habeatis. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Isti è contratio dicunt: Pugna securus; quia illum qui tua repetit, aut contendit, absque dubio superabis: & divinum eis promittunt adjutorium, qui tam contrarii existunt evangelicæ pietati. Hinc jam ad certamen audaciter proceditur; ubi duo cominus veniunt parati, ut se invicem crebris ictibus cedant pro talibus rebus, quas multò minùs amare debuerant, quàm se ipsos adinvicem. Nam eum quem occidere aut superare cupit, jussus est ut diligat sicut se ipsum, reiculas illas pro quibus contendit arbitrari ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Vbi tunc est caritas, sine qua perfectus interpres omnium linguarum angelorum & hominum, efficitur velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; sine qua perfectus Prophetas, & eruditissimus Doctor, & ex fide miraculis coruscans, nihil est; sine qua largitas elemosynarum, & acerbitas martyrij nihil prodest. Milites Christi, qui hanc veraciter habuerunt, subdiderunt in fide mundum Christo, sed moriendo, non occidendo.

Philipp. 3.

1. Cor. 13.

IX. Quando erat publica contentio de veritate religionis, cum alij putarent colendam pro Deo creaturam quamlibet, alij docerent solum creatorem colendum; illi fuerunt victores qui occisi sunt, non qui occiderunt; veritas moriendo declarata est, non occidendo; testes veritatis moriendo creverunt, adsertores autem iniquitatis occidendo perierunt. Nam si in hac vita semper innocentes essent victores, & noxij vir-

ADVERSUS LEGEM GYNDOBADI. HIS  
cerentur; non Pharaon occidisset Iosiam, sed Iosias Pharaonem; non Iohannem Herodes, sed Herodem Iohannes. Nec sancta illa civitas Hierusalem temporibus gratiæ, innumerabilibus turbis monachorum, Clericorum, & ceterorum fidelium inlustis, Sarracenis subiceretur, sicut & aliæ civitates & regiones; nec Roma Gotthis, paganis & hæreticis simul; nec Italia Longobardis; & multa huiusmodi. Non hæc idcirco dicimus ut negemus providentiam Dei aliquando absolvere innocentes, & damnare noxios; sed quia nullatenus statutum est à Deo ut hæc in omnibus fiat, nisi extremo iudicio. Et quia talia certamina vehementer contraria sunt simplicitati & pietati Christianæ; & doctrinæ evangelicæ nimis adversa; absit à mente Christiana, ut adversa huius mundi conflictibus quærat evadere, & gaudia ejus certaminibus adipisci. Cùm è contrario intra sacra Missarum solemnities frequenter deprecemur Dominum, ut tribuat nobis pro amore suo prospera mundi despiciere, & nulla ejus adversa formidare; decet omnino mentem Christianam cum timore & tremore, secundum Apostolum, suam salutem operari, & mente ad futura transire, nec in præsentibus rebus sensum figere; quoniam occultissima Dei dispensatione varij sunt in præsentem tempore rerum eventus, sicut & sacra Scriptura testatur: *Sunt justi quibus multa preveniunt, quasi operæ egerint impiorum; & sunt impij qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant.* Et iterum: *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque ullo timore filij hominum perpetrant mala.* Et iterum: *Sunt justi atque sapien-*

*Philipp. 2.*

*Eccles. 8.*

*Ibid. 9.*

H ij

tes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro servantur incerta, eo quod universa aequè veniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator; ut perjurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc est pessimum inter omnia quae sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post haec ad inferos deducuntur. Et iterum: *Veni me ad aliud*; vidique nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. Nescit homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves comprehenduntur laqueo; sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. Non enim est in praesenti meritorum retributio, sed in futuro. Non oportet mentem hominum in praesenti vita per aquam calidam aut ferrum revelari velit. quanto minus per crudelia certamina? Propter quod Apostolus praecipit de occultis rebus non iudicandum, quoadusque veniat Dominus, qui & inluminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit conscientia cordium. Concedit tamen iudicare inter fratres, ut contentiones sopiantur.

1. Cor. 4.

quoadusque veniat Dominus, qui & inluminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit conscientia cordium. Concedit tamen iudicare inter fratres, ut contentiones sopiantur.

2. Paral. 1.

X. Sed utilitas iudiciorum constat in discussione causarum, & subtilitate investigationum, sicuti & Salomon fecisse legitur in contentione duarum meretricum: cuius & petitio propter ea placuit Deo, quia non petivit divitias aut

ADVERSUS LEGEM GUNDOBADI. 117  
dies multos, sed sapientiam ad discernendum  
judicium. Sic & Daniel adhuc puer, suscitante  
Deo spiritum ejus, judicavit duos iniquos judi-  
ces prudenti subtilitate, per quam liberata est  
& beata Susanna de injusta damnatione. Nam  
si hæc duo judicia temporibus nostris perveni-  
rent, quid judices dicerent, facile est adverte-  
re, ante quos maximè perjuria aut munera fi-  
nem rebus imponunt. Quanta autem necessaria  
sit integritas judiciorum Regnis & Gentibus,  
Scriptura testatur, dicens: *Regnum à Gente in*  
*Gentem transfertur propter injustitias, & inju-*  
*rias, & contumelias, & diversos dolos,* quæ om-  
nia plusquam in ceteris Gentibus abundant in-  
ter Gundobados, apud quorum legem non li-  
cet discussione aut veracium testimonio causas  
terminare; eò quòd libuerit, armis comminari  
liceat, ne infirmior sua retinere aut reposcere  
audeat, tanquam veritas armis manifestari  
ebeat. quod nulla auctoritas, nulla ratio cre-  
dere finit.

Dan. 13.

Ecli. 10.

Judic. 19. &  
20.

Judic. 20.

XI. Valet etiam ad hanc rem subtiliter con-  
siderandam illud quod in libro Iudicum refer-  
tur. Cùm enim quidam in Gabaa civitate, de  
tribu Benjamin, commisissent immane flagi-  
tium super muliere cujusdam Levitis, & con-  
gregarentur universæ tribus Israël ad hoc faci-  
nus puniendum, collecta est etiam tota tribus  
Benjamin in prædicta civitate Gabaa ad defen-  
dendum peccatum illorum. Filij ergo Israël  
consuluerunt imprimis Dominum in Silo, &  
interrogaverunt quis esse deberet princeps cer-  
taminis. Quibus respondit Dominus: *Indas sit*  
*dux vester.* Statimque ut cœperunt urbem ex-

pugnare, occisa sunt ex eis viginti duo millia virorum. Deinde fleverunt coram Domino usque ad noctem; & interrogaverunt eum, utrum deberent procedere ad dimicandum contra filios Benjamin, an non? Quibus respondit Dominus: *Ascendite ad eos, & inite certamen.* Quo inito, prostrata ex eis decem & octo millia. Quamobrem venerunt iterum in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, ieiunaveruntque usque ad vesperam, & obtulerunt sacrificia; & iterum procedentes ad certamen, interfecerunt omnem tribum Benjamin, præter illos sexcentos viros. Quis in tali facto non obstupescat? Quis non vehementer expavescat iudicium Dei frequenter occultum, nunquam iniustum? Certè filij Israël mandatum legis habebant, ut scelera punirent, facinora vindicarent; & non solo mandato legis confisi sunt, sed etiam orantes Dominum interrogaverunt; & eo præcipiente, ad certamen processerunt: & tamen multò plures ex eis occisi sunt antea, & postea punierunt flagitiosos; si tamen ipsi inter sexcentos non remanserunt. Cùm hæc omnia ita sint; quis est tam temerarius ut credat, si duo pro uno asino molino, aut quicquid sit etiam vilius, contendant, non possit alter cadere, cuius illud esse debere putatur, cùm fortè aut multa aut maiora existant peccata eius quàm alterius, pro quibus puniendus sit. Verè hoc non est lex, sed nex: quæ maxime propterea contemnenda est, quia ab illis excogitata est qui non solùm non orabant, sed etiam blasphemabant sapientiam Dei.

XII. Huc accedit aliud quod pia considera-

ADVERSUS LEGEM GUNDOBADI. 119  
tione dignum videtur, de Canonibus scilicet Gallicanis, qui quasi superflui aut inutiles à quibusdam respuuntur; eò quòd neoterici Romani eos non commendaverint, cùm antiqui religiosè eos venerati sint; quoniam venerandi & sancti viri eos ediderunt, quorum vitam & sanctitatem crebra miracula commendarunt. Nemo unquam fuit qui tanta sanctorum per Gallias Episcoporum audire potuerit, quanta per singula loca litteris mandata & relatu posteris relicta reperta sunt. Et revera, si secundùm dictum Dominicum, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine eius, ibi est & Dominus in medio eorum; quantò magis ubi viginti, aut triginta, aut multò ampliùs, congregati fuerint, non solùm in nomine Domini, sed insuper etiam fide præditi, sapientia inlustres, vita clari, sanctitate reverendi, signis & prodigiis formidandi? Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium episcopalium conventuum sanctiones æquali auctoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, Chalcedonensis, & ceterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum & receptorum. Sed quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita; & melius sit unicuique eorum sequi auctoritatem, quàm proprium sensum; & sine aliquo dolore transiri non possit, cùm definitiones multorum & sanctorum atque catholicorum prætermittantur, & unius Gundobadi Regis hæretici lex attentè, quasi à Deo data, tenetur.

*Matth. 18.*

XIII. Temporibus prædicti Gundobadi  
H iij

Regis Burgundionum, fuit in urbe Vienna sanctus Episcopus, Avitus nomine, fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum Scripturarum expositor suavissimus, litterarum etiam secularium doctissimus, & in metris facillimus, sicut & ejus opera testantur: qui cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans, & dialogos in praesenti conficiens, & epistolis absenti respondens, plura & clara ingenij sui & virtutis opera reliquit: qui ipso Gundobado in sua perfidia perditio, successorem ejus Sigismundum Regem ad fidem catholicam convertit; in cujus conversione recitavit homiliam in populo sensuum suavitate plenissimam, & verborum compositione dulcissimam. Quid iste venerandus & sanctus vir saepedicto Gundobado de supradictis certaminibus responderit, audiat, si placet, benignitas vestra. Cum de his inter utrumque sermo esset, & beatus Avitus talia certamina reprehenderet, respondit ei Gundobadus: *Quid est quod inter Regna & Gentes, vel etiam inter personas saepe singulas, dirimenda praelijs cause divino judicio committuntur; & ei maxime parti cui justitia competit, victoria succedit?* Ad quod beatus Avitus intulit dicens: *Si divinum, inquam, judicium Regna vel Gentes expeterent, illud prius quod scribitur formidarent, dicente*

*Psalm. 67.*

*Rom. 12.*

*Psalmista, Dissipa gentes quae bella volunt, & illud diligerent quod perinde dicitur: Mibi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. An forte sine telis & gladiis causarum motus aequitas superna non judicat? cum saepe, ut cernimus, pars aut juste tenens, aut justa deposcens*

laboret in praeliis, & prevaleat iniquæ partis  
vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio.

XIV. Non autem ita sic dixerim, quasi non  
eventus belli varios superni nutu sententia mo-  
veretur. Sed contingit nonnunquam, ut, cum  
ad conflictum sub invocatione divini judicij  
convenitur, negotij de quo agitur sorte dilatata  
in partem victam, illa magis peccata quæ non  
recolit vindicentur, & pereat ei præsentis cau-  
sæ meritum pro debito peccatorum. Quid cum  
armatum latronem simplex viator incurrit, &  
sine ullius declaratione judicij aut cedens nu-  
datur, aut punitur resistens, donec & prædo  
ipse in alio conflictu, in quo bonam sibi causam  
judicari optat, pro ista magis judicatus intereat?  
Quid jam de illa singularium certaminum am-  
biguitate dicamus, quam frequenter inter Gen-  
tes quietas furor personalis exequitur, cum su-  
per quacunque repetitione bellantes ambo  
nonnunquam animas justè ponunt, quibus hu-  
manis atque preciosis vilissima lucra præpo-  
nunt, & Dei judicium iracundia invocat, dum  
impatientia non expectat? Hic autem interro-  
go, utrum causa utrique mala fuerit, pro qua  
bellator uterque occumbit? Atque utinam pla-  
ceret omnipotenti Deo, ut sub uno piissimo  
Rege una omnes regerentur lege, ea ipsa ad  
quam & ipse vivit, & proximi ejus respondent.  
Valeret profectò multùm ad concordiam civi-  
tatis Dei, & æquitatem populorum. Sed quia  
hoc grande est, & forsitan homini impossibile;  
saltem una hæc, de qua sermo est, non solùm  
ut inutilis, sed etiam ut noxia, de medio au-  
ferretur.

AD BERNARDVM EPIS-  
copum , de Privilegio & jure  
Sacerdotij.

I. **V**ENERABILI in Christo fratri & coëpiscopo Bernardo Agobardus in Domino perpetuam salutem. Nuper dum in unum positi conloqueremur , maximè de presuris , odiis , & despectione Ecclesiarum , atque Clericorum , quæ nunc infervescere cœperunt seculis inaudito & inusitato modo , præcipere mihi dignata est sanctitas vestra , ut aliqua de Scripturis sacris , vel sanctorum Patrum dictis exciperem , quæ materiem nobis præberent ad inquirenda , consideranda , & deploranda mala temporis nostri , quæ ignoraverunt antecessores & patres nostri ; licet Spiritus sanctus loquens in Prophetis non tacuerit , qui dixit

*osea 4.* *Et erit sicut populus , sic & Sacerdos.* & multa hujusmodi. Visum itaque mihi est parituro sanctæ devotioni tuæ , ut prætermissis dextralævâque his quæ de remuneratione bonorum , & damnatione malorum Sacerdotum , à Patribus sollicitè ac multipliciter scripta sunt , aliquid medium quod utriusque commune est , de Privilegio scilicet & Iure Sacerdotij , conarer scribendo non explicare , sed considerando diligentius strictim attingere.

II. Præmittendum sanè videtur brevissimè , quòd omnes verè fideles membra summi Sacerdotis , Dei videlicet ac Domini nostri Iesu

DE PRIVILEGIO & IVRE SACERDOTII. 123  
Christi, mediatoris Dei & hominum, facti  
sunt ab eo Patri regnum & Sacerdotes, dicun-  
tárque genus electum, regale Sacerdotium, &  
sunt sub capite summo unus Sacerdos. Propter  
quod & vitia illa legalia, quæ Sacerdotem esse  
inhibent, à corpore & regno summi Sacerdotis  
excludunt, sicut probabilium Patrum expositio  
probat. Vnde cùm sacra lex per Moysen inciperet  
dari, sacer ille agnus; cujus sanguis in su-  
perliminaribus & postibus domorum aspersus,  
vastatorem prohibuit ingredi domos celebran-  
tium Phasæ, non jubetur à Sacerdotibus sumi,  
vel à populo Sacerdotibus, aut à Sacerdotibus  
Deo offerri, sed ab universo cœtu filiorum Is-  
raël tolli per familias & domos, iuxta nume-  
rum animarum quæ sufficere possent ad esum  
ejus. Nec excipiuntur quilibet indigni & im-  
mundi, sed omnibus hoc in commune præcipi-  
tur; solis duntaxat alienigenis seiunctis, adve-  
nis verò & mercenariis coniunctis. Denique  
& ipse agnus, licèt sine macula esse iubeatur, ab  
ovibus tamen & capris secundùm antiquam  
translationem mandatur assumi, & cum amari-  
tudine comedi.

III. Ut igitur liquidò pateat eminentia vel  
dignitas in commune Sacerdotij, consideremus  
à principio mundi gradus eius. Primogeniti, si  
tamen dici liceat, primi hominis, primi legun-  
tur sacerdotale ministerium peregisse, Cain vi-  
delicet & Abel, id est, Deo hostias obtulisse:  
quorum unus improbatus est, & sacrificia eius  
non sunt respecta. Et hoc idcirco fieri potuit,  
quia non populi, sed propria vota obtulit; licèt  
causa reprobationis alia extiterit. Nam in con-

1. Petri 3.

Exod. 12.

Genes. 4.

sequentibus nunquam invenies ut oblata pro aliis reprobata sint, etiamsi is qui obrulit indignus fuerit, si tamen fide de domo fuit, aut in domo obtulit, in qua agnus vescendus est, sicut lex præcipit dicens: *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus illius foras.* Sed magis eorum corda pensantur, qui per Sacerdotes, qualescunque illi sint, offerunt, sicut multis modis ostendi potest. Vnde & de bonis Sacerdotibus Dominus ait: *Si steterint Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum.* Et iterum: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra.* E contrario autem, etiam auditu hominum & visu nostro didicimus oblata Deo per Sacerdotes reprehensibilis vitæ, ita accepta, ut etiam infirmitates corporum curarent: qui fortassis cum aliis reprobis dicturi sunt Deo, *Domine, Domine, in nomine tuo demonia eiecimus, & virtutes multas fecimus, & cetera.* Tale aliquid etiam in libro Iudicum legitur de Micha, qui habuit sculptile, atque conflatile, & ædiculam separatam, & fecit Ephod ac Teraphin, & recepit adolescentem quendam Levitici generis, ut esset ei Sacerdos: qui cum esset utique contra fas sculptilium sacerdos, tamen pro filiis Dan consuluit Dominum, & respondit prospera quæ ventura erant.

IV. Pertinet quoque ad hanc rationem confirmandam, qua dicimus sacerdotalia obsequia pro populorum meritis dispensari, quod Ezechieli sancto Prophetæ Dominus loquitur: *Linguam tuam adherescere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia*

Exod. 12.

1er. 15.

Malach. 1.

Matth. 8.

Judic. 17.

Ezech. 3.

domus exasperans est. E contrario autem de  
 Caïpha dicitur : *Hoc autem à semetipso non* Ioan. 11.  
*dixit. Sed cùm esset Pontifex anni illius , pro-*  
*phetavit quia Iesus moriturus erat pro gente.*  
 Sed cur hæc in aliis quæramus , cùm etiam de  
 ipso Domino Evangelista dicat : *Et non poterat* Marc. 6.  
*ibi virtutem ullam facere , nisi paucos infirmos*  
*impositis manibus curavit , & mirabatur prop-*  
*ter incredulitatem eorum. Quam rem alius* Matth. 13.  
 Evangelista apertiùs loquitur , dicens : *Et non*  
*fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem*  
*eorum. Et in istis quidem incredulitatis meri-*  
 tum fuit, ut nec multæ apud eos virtutes fierent;  
 & ipsi pauci qui sanati sunt , non sola verbi po-  
 tentia , sed manuum impositione curarentur.  
 Paralyticum verò Centurionis puerum , & mu-  
 lieris Chananææ filiam , quæ malè à dæmonio  
 vexabatur , solo verbo restituit incolumitati.  
 Nimirum magnitudine fidei eorum hoc exigen-  
 te , qua alter dixerat : *Tantum dic verbo , &* Matth. 8.  
*sanabitur puer meus. altera ex micis de mensa* Matth. 15.  
*dominorum cadentibus catellos posse percipere*  
 non dubitaverat. quàmque miris laudibus Sal-  
 vator extulit , de Centurione quidem dicens,  
*Non inveni tantam fidem in Israël ; Mulieri*  
 verò Chananææ : *O mulier , magna est fides*  
*tua. fiat tibi sicut vis.* E contrario , inter cete-  
 ros veros discipulos, etiam Iudæ ficto discipulo,  
 & vero proditori , magnam virtutum gratiam  
 contulit , sicut Evangelium narrat , dicens:  
*Convocatis Iesus duodecim discipulis suis , de-* Matth. 10.  
*dit illis potestatem immundorum spirituum , ut*  
*eicerent eos , & curarent omnem langorem , &*  
*omnem infirmitatem. Vbi & additur : Duode-*

cim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Pri-  
 mus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas  
 frater ejus; enumeratisque omnibus; postre-  
 mus ponitur Iudas Scariotes, qui & tradidit  
 eum: Deinde sequitur: *Hos duodecim misit  
 Iesus. & post patululum: Euntes autem, præ-  
 dicare dicentes quia adpropinquavit regnum coe-  
 lorum. Infirmos curate, mortuos suscite, le-  
 prosos mundate, demones eicite.* Cui rei sub-  
 iungit alius Evangelista: *Et exeuntes predicabant  
 ut pœnitentiam agerent, & demonia multa  
 eiciebant, & ungebant oleo multos agros, & sa-  
 nabant.* De talibus, bonis videlicet ac malis  
 prædicatoribus, loquens Apostolus, ait: *Quid  
 enim dum omnimodo sive per occasionem, sive  
 per veritatem Christus annuncietur; & in hoc  
 gaudeo, sed & gaudebo.*

V. Colligitur itaque ex prædictis rebus,  
 quod nec Sacerdotes, cum exaudiuntur, aut  
 prædicando profunt, meritis suis debent tribue-  
 re, sed eorum pro quibus hæc agunt; nec popu-  
 lus sacerdotis culpæ deputare, sed suæ, cum  
 sacerdos nec orando proficit, nec loquendo, li-  
 cèt vario contingat modo, sicut beatus Papa  
 Gregorius affirmat, dicens: *Sape enim pro  
 sua nequitia predicantium lingua restringitur;  
 sape verò ex subjectorum culpa agitur ut eis qui  
 præsumunt, prædicationis sermo subtrahatur.* Hæc  
 idcirco dicimus, ut ostendatur & per bonos &  
 per malos bona posse administrari; plerunque  
 autem bonos malis prodesse non posse, & ab  
 utilitate ministerij prohiberi; sicut Dominus  
 de infideli vinea loquens, ait: *Et nubibus  
 mandabo ne pluant super eam imbrem.* Sed &

Homil. 17. in  
 Evangelia.

Esaiæ 5.

Hieremiam idem Dominus prohibens : *Tu, inquit, noli orare pro populo hoc, nec adsumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te.* Ceterum quod supra diximus de Cain, si pro aliis sacrificium obtulisset, quod sine caritate fieri non potest, nullatenus diceretur ad Cain & ad munera eius non respexisse Dominum, in consequentibus melius demonstrabitur, si tamen dare dignatus fuerit Dominus. Interim de excellentia & dignitate sacerdotij vel sacerdotum cœpta persequamur.

VI. Noë, per quem restitutum est genus humanum, post diluvium ædificavit altare Domino, & obtulit holocausta; odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait ad eum : *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Melchisedech Rex Salem, sacerdos Dei excelsi fuisse scribitur; de quo Apostolus : *Intuemini, ait, quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Patres electi, Abraham scilicet, Isaac, & Iacob, (de quibus Dominus ad David loquitur, *Feci nomen tuum sicut unius magnorum qui celebrantur in terra*) ædificasse leguntur altaria. Beatus quoque Iob holocausta per singulos dies scribitur obtulisse; & , ut beatus Hieronymus ait, *antiqua Judæorum traditio est, quod ante legem omnes primogeniti fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint.* In lege autem assumitur tribus Levi pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israël, fiuntque Levitæ Dei; diciturque ad Moysen : *Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israël, & pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego*

Jerem. 1.

Genes. 4.

Genes. 8.

Genes. 14.

Hebr. 7.

2. Reg. 7.

Iob. 1.

Numer. 3.

Exod. 13. &  
Numer. 8.

*sum Dominus. Externus qui ad ministrandum accesserit, morietur. Et res mira, & vehementer stupenda! Omnes Levitæ quos numeraverunt Moyses & Aaron iuxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino à mente uno & suprâ, fuerunt viginti duo millia, sicut viginti duæ litteræ apud Hebræos, & viginti duo libri divinæ auctoritatis in veteri testamento. Ut id ipsum sit quod in Deuteronomio dicitur: *Scrispsit itaque Moyses hanc legem, & tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israël.**

VII. Sed & illud omni admiratione dignum est, quòd primogeniti filiorum Israël, pro quibus dati sunt filij Levi, fuerunt masculi per nomina sua à mente uno & suprâ, viginti duo millia, ducenti septuaginta tres. Nam viginti duo, ut dictum est, numero litterarum concinit & librorum, habens supra duplicem centenarium, septuplicem denarium, & simplicem ternarium, numeros in divinis litteris sacratissimos. Ex hoc iam tempore non oportuit esse sacerdotes quoscunque primigenitos, sed tantum Levitas filios Aaron, qui separati sunt à populo, sicut scriptum est: *Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israël, sed constitues eos super tabernaculum testimonij. Et post paululum: Cùm proficiscendum fueris, deponent Levitæ tabernaculum; cùm castrametandum, erigent. Quisquis externorum accesserit, occidetur. Et in tantum sequestrati sunt & prælati populo, ut iubeat Dominus Moysen dicere eis, Aaron scilicet & filiis eius:*

Sic

Sic benedicetis filiis Israël. Et post benedictionem, *Invocabunt*, ait, *nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis*. Non illi benedicent, sed ego; illorum est invocare, meum est benedicere. In quibus verbis non excipit malos, sed de omnibus in commune loquitur, bonis videlicet & malis. Malos dicimus, sicut fuerunt Ophni, & Phinees, Somna, & Phadassur, & ceteri tales, licet isti in præfenti vita receperint vindictam. Nec solummodo sacerdotum fuit orare pro populo, sed & omnium Levitarum, sicut ipse Dominus dicit: *Tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël, tradidique eos dono Aaron & filiis eius de medio populi, ut serviant mihi pro Israël in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium*. Vbi notandum videtur, quia sicut omnes sacerdotes & Levitæ sancti & iusti esse non potuerunt, ita nec omnes ceteri Israëlita iniqui & peccatores: sed tamen per peccatores sacerdotes & Levitas completa sunt salutaria populi, quæ per iustos populi impleri non potuerunt. Et quanquam æterna vita plus digni sunt iusti populares quàm iniusti sacerdotes; tamen sacramenta in quibus salus populi consistit agere possunt iniusti sacerdotes. quod non possunt iusti populares. scilicet quia valet in qualicumque ministro ipsa vis ministerij quod non valet iustitia in eo cui non conceditur licentia ministrandi. Atque hoc etiam atque etiam Moyses populo inculcat, dicens: *Separavit Dominus tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in mini-*

Numer. 6.

1. Reg. 6. 2.

Numer. 1. &amp; 8.

Deut. 10.

130 S. AGOBARDI LIBER  
sterio, ac benediceret in nomine illius.

VIII. In tantum autem ab aliis intentanda  
sunt sacramenta altaris, ut dicat Dominus ad  
Numer. 18. Aaron: Tu & filij tui & domus patris tui  
cum, portabitis iniquitatem sanctuarij, & tu  
& filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij ve-  
stri. Et post aliqua: Si quis externus accesserit,  
occidetur. Quod terribiliter legitur adimple-  
tum in Oza, cum adduceret David arcam Do-  
mini de domo Aminadab, sicut scriptum est

2. Reg. 6. Et imposuerunt arcam Domini super plaustrum  
novum; tuleruntque arcam de domo Aminadab,  
qui erat in Gabaa. Oza autem & Ahio  
filij Aminadab minabant plaustrum novum. Et  
post pauca: Postquam autem venerunt ad arcam  
Nachon, extendit manum Oza ad arcam  
Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant bo-  
ves, & declinaverant eam. Iratusque est in-  
dignatione Dominus contra Ozam, & percussit  
eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta  
arcam Dei. Certè Oza injunctum sibi offi-  
cium agebat, plaustrum minabat; & obsequium  
eius esse videbatur, ut arcam Dei, quam recalcitrantes  
boves inclinaverant, sustentaret. Verum quia non erat officij  
ejus ut eam contingeret, quod ille sibi visus est fecisse pietate,  
reputatum illi à Deo est terribiliter in temeritatem,  
& tantam temeritatem quæ statim mortis supplicio  
plecteretur. Quam rem beatus David in tantum expavit,  
ut sequatur Scriptura, dicens  
2. Reg. 6. Extimuit David Dominum in die illa dicens  
Quomodo ingredietur ad me arca Domini? Et noluit  
divertere ad se arcam Domini in civitatem David;  
sed diverxit eam in domo Obedi-

dom Getthæi. Vnde & post aliquod temporis, cum audisset quod benedixisset Dominus domui Obededom Getthæi propter arcam Dei, vocatis ad se principibus sacerdotum ac Levitarum, sic legitur præcepisse: *Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam Domini Dei Israël ad locum qui ei preparatus est, ne ut à principio, quia non eratis presentes, percussit nos Dominus; sic & nunc fiat illicitum quid nobis agentibus.* E contrario autem Ozias Rex, de quo legitur quod requisierit Dominum, & dilexerit eum in omnibus, cum roboratus esset, *elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis; statimque ingressus est post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, seb sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque est Ozias; & tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus; statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cumque respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus acceleravit egredi, eò quod sensisset ilico plagam Domini.* Tali itaque contemptores sacerdotum ultione

1. Par. 15.

2. Par. 26.

feriuntur, talis in sacerdotibus fortitudo & constantia prædicatur. Ob hanc & Azarias iste singulari laude attollitur, sicut scriptum est de eo. Azarias sacerdos de genere Aaron, ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Salomon in Hierusalem.

IX. Tanta igitur sacerdotibus sacerdotij dignitate collata, præcipitur populo ut eis in cunctis obediat. Ait denique Moyses: *Accedem*

*Deut. 21.*

*itaque sacerdotes filij Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum omne negotium & quicquid mundum vel immundum est iudicetur. Quàm sit autem perniciosum non obedire sacerdotibus, miro modo etiam per Moysen dicitur. Observa, inquit, diligenter ne incurras*

*Deut. 24.*

*plagam lepræ; sed facies quacunque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, & imple sollicitè. Nam cum lepra infirmitas corporis sit, quur non potiùs medicis obediendum præcipit, sed sacerdotibus? nisi quia humiliter audiendo sacerdotes declinat quis immunditiam mentis, maximè erroris, ita tamen si sacerdos ea docuerit quæ Dominus præcepit. Hoc est enim quod dicit: *Facies quacunque docuerint te sacerdotes, juxta id quod præcepi eis. Nam si sacerdos aliud docuerit quam quod Dominus jussit, quisquis ei auscultaverit, leprosus leprosum sequitur, & cæcus cæcum, & consequenter ambo de castris expellentur, ambòque in foveam cadent. Non ergo aliud doceat sacerdos, nisi quod Dominus præcipit, ut salubriter audiatur. Sic & Ezechieli Domi-**

*Ezech. 3.* nus loquitur: *Audies ergo ex ore meo sermo-*

nem, & annuntiabis eis ex me. Audies, inquit, non aliunde, sed ex ore meo, & annuntiabis ex me, non ex te: quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur. E contrario autem, omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est; & lux veritatis à patre luminum est; nec est ullum bonum aut verum, nisi ab eo qui solus verè natura est bonus.

Ioan. 8.

Iacob. 1.

X. Sed videamus utrum apostolicæ quoque litteræ consonanter legi de his doceant. Beatus Paulus Apostolus ad Hebræos scribens: Obedite, ait, Prepositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Ad Timotheū etiam scribens, ait:

Hebr. 13.

Qui bene presunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura, Non infrenabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. Qua in re, ut ait beatus Papa Gregorius, considerandum est, quòd uni eorum operi duæ mercedes debentur, una in via, altera in patria, una qua nos in labore sustentat, altera qua nos in resurrectione remunerat. Item ad Corinthios, inter multa ad hæc pertinentia, dicit: Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus. Et post

1. Tim. 5.

Homil. 17. in  
Evangelia.

1. Cor. 9.

pauca : Nescitis quoniam qui in sacrario operantur , quæ de sacrario sunt , edunt ; qui altario deserviunt , cum altario participantur ? Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant , de Evangelio vivere. Itémque ibi : Obsecro autem vos fratres , nostis domum Stephane & Fortunati , quoniam sunt primitiæ Achaie , & in ministerio sanctorum ordinaverunt seipsos , ut & vos subditi sitis ejusmodi , & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in presentia Stephane & Fortunati & Achaici , quoniam id quod vobis deerat , ipsi suppleverunt. Refecerunt etenim meum spiritum & vestrum. Cognoscite ergo qui ejusmodi sunt. Item ad Thessalonicenses : Rogamus autem vos fratres ut noveritis eos qui laborant inter vos , & præstant vobis in Domino , & monent vos , ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum. pacem habete cum eis.

XI. Hæc pauca veteris ac novi testamenti collegimus testimonia , in quibus quasi in speculo contueri valeamus fœditatem nostri temporis , omni lacrymarum fonte plorandam , quando increbuit consuetudo impia , ut penè nullus inveniatur anhelans & quantulumcumque proficiens ad honores & gloriam temporalem , qui non domesticum habeat sacerdotem , non cui obediat , sed à quo incessanter exigat licitam simul atque illicitam obedientiam , non solum in divinis officiis , verùm etiam in humanis ; ita ut plerique inveniuntur , qui aut ad mensas ministrent , aut saccata vina misceant , aut canes ducant , aut caballos , quibus feminae sedent , regant , aut agellos provideant. Et quia

tales, de quibus hæc dicimus, bonos sacerdotes in domibus suis habere non possunt, (nam quis esset bonus clericus qui cum talibus hominibus dehonestari nomen & vitam suam ferret?) non curant omnino quales clerici illi sint, quanta ignorantia cæci, quantis criminibus involuti; tantum ut habeant presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesias, seniores, & officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet ex hoc, quod non habent eos in honore. Vnde & contumeliosè eos nominantes, quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos aut jubent, dicentes: Habeo unum clericionem, quem mihi nutriti de servis meis propriis, aut beneficiis, sive pagensibus; aut obtinui ab illo vel illo homine, sive de illo vel illo pago. Volo ut ordines eum mihi presbyterum.] Cùmque factum fuerit, putant ex hoc quod majoris ordinis sacerdotes non eis sint necessarii, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta; impletumque est etiam in nobis quod ait Propheta: *Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti, Et corruet hodie, & corruet etiam Propheta tecum.* Et post paululum: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos. & visitabo super eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei.* Vel illud quod Scriptura alia loquitur, dicens: *Post hæc verba non est reversus Hieroboam de via sua pessima; sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsum. Quicumque volebat, implebat ma-*

osca 4.

3. Reg. 13.

136 S. AGOBARDI LIBER  
num suam, & fiebat sacerdos excelsorum. Et  
propter hanc causam peccavit domus Hieroboam,  
& eversa est & deleta de superficie terra.

XII. Forsitan in his duabus sententiis resistat aliquis, dicens: Hæc dicta sunt de decem tribubus Israël, quæ per Hieroboam recesserunt à domo David, & civitate sancta, ac templo & altari, sive ministerio electorum sacerdotum; & propterea debent de hæreticis intelligi, qui recedunt à veri domo David, id est, Christi, & à communione vel doctrina sacerdotum catholicorum. Nos ab Ecclesia non recedimus, nec spernimus nutrices Ecclesias; sed habemus sacerdotes quales possumus. Consideret qui hæc dicit quantis modis receditur à domo & corpore David, & inveniet proculdubio valde congruere in hac re omnibus improbandis factis, sicut & Doctores nostri senserunt. Quanquam sunt aliæ divinæ auctoritatis multæ sententiæ, in quibus sine contradictione temeratio tantæ sanctitatis arguitur. sicut est illud Malachie

*Malach. 1.* Prophetæ: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est?* Quæ sententia potest quidem & de hostiis carnalibus vel spiritalibus specialiter accipi, intelligitur tamen probabiliter etiam de offerentibus. Verùm quia de his, quales esse vel non esse debeant, Patrum dicta sunt plurima, nobis necesse est cum omni cordis contritione tractare, qui in his pessimis temporibus ordinandi & regendi Ecclesias ministerium sortiti sumus; ut si ex toto cavere non possumus, saltem quantumcunque nobis ipsis succurrere studeamus, ne peccatis alienis

communicemus, quia nostra superabundant, & cum iniquitates nostræ supergressæ sint capita nostra, & sicut onus grave gravatæ sint super nos, non contemnamus piè monentem Apostolum ac dicentem: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

Psal. 37.

1. Timoth. 5.

XIII. Nempe ex quo fides Christi mundo annunciata est & recepta, non fuerunt rectores Ecclesiarum tantis periculis & tam gravibus atque inevitabilibus circumsepti. Quia, sicut jam dictum esse meminimus, mundus in annis prioribus, velut in juventute viguit. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Quod nos absque ambiguo de Ecclesia dicere possumus, quæ in annis prioribus ad tolerantiam passionum robusta, in perfectione veritatis erecta, ad ostensionem signorum valida, studio mirandæ continentiæ & abstinentiæ accincta, contra rabiem luporum sollicita, ad resistendum improbis libera. At nunc omnibus infirmitatibus mentis ita est languida, ut ad dicendum quidem nec tutum sit, nec possibile; ad cavendum verò, nec promptum, nec facile. Atque utinam vel dolere dignè possemus annos istos famis & sterilitatis, quos per somnium Pharaonis vidit, Ioseph vir sanctus intellexit & exposuit. Quippe fluvius seculi huius, de quo ascendere videbantur septem boves pulchræ & crassæ nimis, quæ pascebantur in locis palustribus, præteritorum temporum significationem gerit, quæ habuere Doctores doctrina sublimes, sanctitate fulgidos, in defensione veritatis rigidos. Nunc autem (quod sine gravi dolore dici non

Genes. 40.

potest) ex prædicto flumine jam emergunt alia boves fœdæ confectæque macie. de qua re si iuxta gracilitatem sermonis nostri aliquid dicere tentamus, offendimus forsitan ad invicem. Tamen si Deo iuvante in unum convenerimus, oportet nos de hoc diligenter & fideliter conloqui: quia & his in quibus sanitas deficit, & infirmitas roboratur, moris est inde cogitare, inde interrogare, ut ad earum rerum perveniamus cognitionem.

XIV. Quæramus etiam ne fortè iam proficit, & timeamus ne nos in perditionem involvat illud quod terribiliter per Prophetam dicitur: *In die illo, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fidei, & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerit in eo, quia Dominus locutus est.* Ita ut consequenter impleatur quod Veritas dicit: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem super terram?* Tamen quia Veritas ipsa dicit iterum, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, proculdubio erunt semper in Ecclesia, cum quibus ille sit, eruntque fortissimi ac robustissimi pugnatōres Dei, adversum quos ille qui nunc ligatus est in abyſſo, solutus, totis viribus permitteret belligerare, quos divina gratia idoneos reddet adversum tam immanem bestiam dimicare, & victores de ea existerē. Adhortemur itaque nosmetipsos per singulos dies, non deserentes collectionem nostram, Audiamus Dominum per Prophetam monentem: *Congregate triticum in horreum meum, & sit cibus in domo mea.* Triticum utique illud evangelicum, de quo dicitur

1s. 22.

Luc. 18.

Matth. 28.

Hebr. 10.

Malach. 3.

*Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus enim ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* Luc. 12.

At si hoc semper necessarium fuit, quanto magis nunc, quando jam propius est tempus illud, de quo Dominus ait: *Ecce dies venient, & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei, & deficient virgines bonæ.* Amos 8.

Interim tamen, sicut alius Propheta loquitur, *Quid bonum ejus, aut quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar. 9.

In quibus verbis magnopere necesse est unicuique nostrum subire contra semetipsum judicij distractionem, & exigere à semetipso veritatis confessionem, utrum sollicitior sit ad congregandum vinum in quo est luxuria, an vinum germinans virgines.

XV. Hæc brevissimè de nobis dicta sint, quæ pertinent ad officium & ministerium nostrum. Dein dicamus fidelibus laïcis, qua fide & spe venerari studeant sacramenta divina in omnibus communiter sacerdotibus; sive sint diligentes, sive negligentes, sive sint providi, sive torpentes. Sacramenta etenim divina, baptismus scilicet, & confectio corporis ac sanguinis Domini, ceteraque in quibus salus & vita fidelium consistit, tam magna & sancta sunt, ut nec bonorum meritis meliorari, nec malorum perversitate possint deteriorari; cum ad invocationem summi Sacerdotis, non humana virtute, sed S. Spiritus perficiantur ineffabiliter majestate. Nullo modo igitur, sicut beatus Augu-

stinus docet, sacramentum Christi in bonis ministris approbandum est, in malis respuendum, quasi aut hujus aut hujus sit, cum in utroque idem sit, & non nisi Dei sit. Et quamvis in pessimis bonum sit, etsi hominum qui hoc agunt alius est alio deterior, non ideo illud quod agunt deterius est in illo quam in isto: quia nec in duobus catholicis malis, si unus sit alio deterior, deteriorem baptismum gerit: nec si unus eorum sit bonus, alius malus, in malo malus est baptismus, & in bono bonus, sed in utroque bonus. sicut lumen solis, vel etiam lucerna, non utique deterius est in oculis deterioribus, quam in melioribus; sed idem in utrisque, quamvis eos diverse pro illorum diversitate vel latificet vel excruciet.

XVI. Similiter autem & beatus Papa Gregorius de non contemnendis divinis sacramentis in qualibuscunque ministris Dei sub quodam congruo exemplo admonet, dicens: Sape, fratres mei, solet evenire quod dico, ut persona potens famulum habeat despectum; cumque per eum suis forte vel extraneis responsum aliquod mandat, non despicitur persona loquentis servus, quia servatur in corde reverentia mittentis domini; nec pensant qui audiunt, per quem, sed quid, vel à quo audiant. Ita ergo, fratres, ita vos agite. Etsi forsitan nos digne despicitis, in mente tamen vestra vocantis Domini reverentiam servate. Idem etiam Pater de eisdem rebus in quadam Episcoporum exhortatione sic loquitur: Et per nos quidem fideles ad sanctum baptismum veniunt, nostris precibus benedicuntur, per impositionem manuum nostrarum à Deo Spiritum sanctum percipiunt, atque ipsi ad regnum cœleste pertingunt.

Homil. 17. in  
Evangelio.

Et ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati, caelestem patriam, & sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aqua baptismatis, qua peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum caeleste mittit, & ipsa in cloacas descendit? Timeamus hac, fratres. Conveniat actionem nostram ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum cotidie relaxatione cogitemus; ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus cotidie alios solvit.

XVII. Consonanter quoque & beatus Papa Anastasius de his docet, dicens: *Nam & baptismum, quod procul sit ab Ecclesia, sive ab adultero vel à fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit inlibatum, quia vox illa qua sonuit per columbam, omnem maculam humane pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur: Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Nempe & Indas, cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt. Quicquid ergo ad hominum profectionem quilibet in Ecclesia minister pro officio suo videtur operari, hoc totum contineri implendum divinitatis effectum, ita ille per quem Christus loquitur, Paulus affirmat: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non queritur, quis vel qualis predicet, sed quem predicet, ut invidios etiam bene*

Decreta Anastasi cap. 7. &

1. Corinth. 3.

Christum predicare confirmet. Mali itaque bonis ministrando, sibi tantummodo nocent, nec Ecclesia mysteria commaculant. Ac per hoc nullatenus debent metuere qui vel in consecrationibus vel in baptisate mysteria tradita suscipiunt; ne irrita beneficia divina videantur: quia virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc aliis rea sibi persona non nocet.

XVIII. Hæc igitur sensa Patrum & definitiones posuimus, ut noverint fideles populi, nihil se lædi criminibus sacerdotum in acceptance sacramentorum; si tamen juxta regulam à Domino positam, vel secundum traditionem ecclesiasticam, celebrentur. Ceterum summo perire necesse est præcaveri, ut in ordinandis offerendisve ministris non communicemus, ut supra dictum est, peccatis alienis, criminosos videlicet ad sacerdotium promovendo, aut, quod adhuc multò deterius est, ignorantia cæcos, qui vel secundum tenorem ecclesiasticum nesciant peragere ipsa mysteria, quod omnino est improbandum, & nullo modo admittendum, vel cæcis ducatum præbeant ad foveam æternæ damnationis. Quod & Dominus terribiliter se reprobare demonstrat, dicens per Prophetam:

- osæ 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego in sacerdotio fungaris mihi. Et iterum: Sacerdotes contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt. Cùm è contrario secundum præcepta apostolica debeamus esse parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe, & oporteat præ-*

dicatorem esse amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quanquam enim sacerdos & vita & doctrina inreprehensibilis esse debeat, quò rite & audiatur & imitetur; tamen si unum horum defuerit, tolerabilius est illi obedire qui bene docet & reprehensibiliter vivit, quàm illi qui & nequiter vivit, & quid doceat nescit. Illi namque erant similes de quibus Dominus jubebat, dicens: *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Scilicet quia hæc observantes, sine sui periculo tales poterant sustinere rectores. De isto autem, cum sit totus inutilis & totus noxius, & sine periculo nec audiri possit nec imitari, rectè à quibusdam dictum intelligitur in Evangelio: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Rursùmque in Proverbiis: *Non decent stultum delicia, nec servum dominari principibus.* Itèmque ibi: *Labia justi erudiunt plurimos. Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.* Et iterum: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij, sic qui tribuit insipienti honorem.* licèt hæc sententia præcipuè illos tangat qui tales ordinare præsumunt.

Matth. 23.

Matth. 6.

Prov. 19.

Prov. 10.

Prov. 26.

XIX. Et quoniam nobis nunc de dignitate sacerdotij fermo est, sed & sacerdotum, si tamen concordent moribus ministerio; in fine opusculi sciendum sollicitè est quatuor eorum esse genera, unum amandum, alterum tolerandum, tertium contemnendum, quartum anathematizandum. Amandum itaque genus rectorum est bene viventium, & bene docentium.

Tolerandum autem bene quidem docentium, sed reprehensibiliter viventium; aut bene viventium, & propter simplicitatem sensus docere alios non valentium. Hujus generis priores audiendi sunt, non imitandi, sicut Dominus de talibus loquens, ait: *Quae dicunt facite; quae autem faciunt, facere nolite.* Sequentes, si eorum vita pietati subdita est, pietatisque doctoribus adhærens, tendunt proculdubio ad finem præcepti, quod est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Potest quidem & eorum vita aliquibus esse doctrina. At tamen tales inter perfectos prædicatores deputari non possunt, quia non habent unde proferrant nova & vetera. & sicut Patres dixerunt: *Latratu canum, & baculo pastoris, luporum rabie deterrenda est.* Contemnendum verò, sicut supra diximus, genus est reprehensibiliter viventium, & quid doceant ignorantium. Postremum, quod & anathematizandum diximus, qualitercunque viventium, id est, vel bene vel malè, sed tamen malè docentium. Sunt enim hæretici, etiam si bene vivant.

XX. Deprehensi igitur inter tantas ac tales angustias, de quibus viribus nostris evadere non possumus, summopere necessarium est ut ei qui omnia facere potens est supra quàm petimus aut intelligimus, ex toto corde supplicemus, quatenus per abundantiam misericordiae suae tenens manum dexteram nostram, in voluntatem suam dirigat nos, & cum gloria assumat nos; ipse regat regentes, ipse dirigat dirigentes; ut possimus pascere gregem ejus cum disciplina, & non in vasis pastoris imperiti; ipse præter

Matth. 23.

1. Timoth. 1.

præstet virtutem & fortitudinem populo, & exhibeat ipse sibi mundum & candidum gregem, atque in omnibus immaculatum ac supernis ovibus dignum, ubi est habitatio lætantium in splendoribus sanctorum, ut in templo ejus omnes dicamus gloriam, grex simul & pastores, in Christo Iesu Domino nostro, cui est honor & virtus in secula seculorum. Amen. Opto te, Pater & Frater reverentissime, & dilectissime in Christo, semper bene valere, & nostri meminisse.

---

ITEM LIBER CONTRA  
*insulsam vulgi opinionem de Grandine  
& Tonitruis.*

I. N his regionibus penè omnes homines, nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri. Dicunt enim, mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, *Aura levatitia est.* Interrogati verò quid sit aura levatitia, alij cum verecundia, parum remordente conscientia, alij autem confidenter, ut imperitorum moris esse solet, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur Tempestarij, esse levatam, & ideo dici levatitiam auram. Quod utrum verum sit, ut vulgò creditur, ex auctoritate divinarum Scripturarum probeatur necesse est. Sin autem, ut falsum est, absque ambiguo credimus, summopere exaggerandum est, quanti mendacij reus sit, qui opus divinum

homini tribuit. Nam per hoc inter duos mortifera maximaque mendacia constringitur, dum testificatur hominem facere posse quod solius Dei est posse, & Deum non facere quæ facit. Si verò in mendaciis minorum rerum veraciter est tenendum quod scriptum est; (*Sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem quod mentitur, occidit animam.* Et iterum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et: *Testis mendax peribit.* Vel: *Testis falsus non erit impunitus.* Vel etiam illud quod in Apocalypsi Iohannis Apostoli legitur: *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vite, & portis intrent in civitatem. Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnes qui amat & facit mendacium.*) quanto magis in tam gravi mendacio, ut istud ostendi potest, de quo nunc loquendum suscepimus, quod non minus aliquorum hæreticorum mendaciis invenitur. Beatus Paulus Apostolus dicit: *Invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* Sicut ergo omnes qui Christum Dominum resuscitatum à Patre prædicant, falsi testes Dei invenirentur, si mortui non resurgerent; sic etiam iste, qui admirabile & valde terribile opus Dei Deo aufert ut homini tribuat, falsus est sine dubio testis Dei.

II. Plerosque autem vidimus & audivimus tanta dementia obrutos, tanta stultitia alienatos, ut credant & dicant quandam esse regionem, quæ dicatur Magonia, ex qua naves ve-

Sap. 1.

Proverb. 21.

Psal. 5.

Proverb. 19.

Apocal. 22.

1. Corint. 15.

niant in nubibus, in quibus fruges, quæ grandinibus decidunt, & tempestatibus pereunt, vehantur in eandem regionem, ipsis videlicet nautis aëreis dantibus pretia Tempestariis, & accipientibus frumenta vel ceteras fruges. Ex his item tam profunda stultitia excæcatis, ut hæc posse fieri credant, vidimus plures in quodam conventu hominum exhibere vincetos quattuor homines, tres viros, & unam feminam, quasi qui de ipsis navibus ceciderint: quos scilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tandem collecto conventu hominum exhibuerunt, ut dixi, in nostra præsentia, tanquam lapidandos. Sed tamen vincente veritate, post multam ratiocinationem, ipsi qui eos exhibuerant, secundum propheticum illud confusi sunt, sicut *Hier. 2.* confunditur fur quando deprehenditur.

III. Verùm quia hic error, qui tam generaliter in hac regione penè omnium mentes possidet, ab omnibus ratione præditis dijudicandus est; proferamus testimonia Scripturarum, per quæ dijudicari possit: quibus inspectis, non nos ipsi, sed ipsa veritas expugnet stultissimum errorem, & omnes qui cum veritate sentiunt, arguant vasa erroris, dicentes cum Apostolo: *Omne mendacium ex veritate non est.* *1. Ioan. 2.* Quod autem ex veritate non est, ex Deo utique non est; & quod ex Deo non est, verba ejus non audit; sicut ipsa per se Veritas dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* *Ioan. 8.* quod in alio quoque loco aliis etiam verbis dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt.* *Propterea vos non auditis, quia non estis ex ovibus meis.* *Ioan. 10.* itémque alibi: *Om-* *Ioan. 18.*

*nis quis est ex veritate, audit vocem meam.* Omnis itaque qui mendacium credit, aut loquitur, aut astruit quod non est, & tenendo quidlibet quod non est, quò nisi ad non esse tendit? quia item ad non esse tendit, proculdubio ab eo qui est recedit, qui dixit Moyfi: *Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* & de quo beatus Iob loquitur: *Ipsè enim solus est.* atque ut apertius loquamur, veritas essentiam habet, vel potius essentia est in propria subsistentia, quia subsistit; mendacium verò, quia nullam habet essentiam, nihil enim est, non subsistit. Solus ergo Deus est, quia solus verum esse habet, qui non accepit ut esset. Omnes autem res ab eo creatæ, & quidem sunt; sed verum & summum illud esse non habent, quia acceperunt ut essent. Porrò mendacia, quia non acceperunt ut essent, nullum esse habent. Ac per hoc, is qui mendacio adhæret, ei rei adhæret quæ non est. quanquam nec res dicendum sit. Qui autem ei adhæret quod non est, non solum ab eo recedit qui fecit eum, sed etiam ab eo ipso quod factus est; quoniam non amplius quàm duo esse sunt; unum summum, quod suum esse non accepit ab alio; alterum magnum, quod suum esse à Deo accepit; id est, creator, & creatura. Mendacium igitur, quia non est creator, non est summum esse; quia non est creatura, non est magnum esse; quia nullam habet essentiam, non est ullum esse. Qui ergo vult persistere in eo quod est, non recedat ab eo qui ei dedit esse. Qui autem non vult recedere ab eo qui verè est, fugiat quod omnino non est, id est, mendacium.

IV. Quoniam ergo omnis mendax, falsitatis

Exod. 3.

Iob. 38.

assertor est, & omnis assertor falsitatis, falsus testis est, agens contra veritatem; videamus jam, isti qui opus divinum auctore homine fieri dicunt, utrum fulciantur aliqua auctoritate. In sacris igitur Scripturis, ubi primùm grando introducit, in plagis utique illis, quibus Ægyptus percussa est, invenitur. Septima denique plaga Ægypti ista est. Dixit autem Dominus:

*En pluam hac ipsa hora cras grandinem multam* Exod. 9.

*nimis, qualis non fuit in Ægypto à die qua fundata est usque in presens tempus.* In his itaque verbis Dominus se ipsum dicit missurum grandinem in crastina, non aliquem hominem, certè nec Moysen aut Aaron, qui justis & Dei homines erant, nec Iamnen & Mambren incantatores Ægyptiorum, qui scribuntur magi Pharaonis, quos Apostolus dicit restitisse Moyse, sicut

2. Tim. 3.

& hi resistunt veritati. Iam equidem illi, sicut scriptum est, per incantationes Ægyptias & arcana quædam projecerant singuli virgas suas coram Pharaone, & versæ fuerant in dracones, licèt virga Aaron devoraverit virgas eorum.

Exod. 7.

Iam aquas verterant in sanguinem, jam ranas producerant è fluminibus, licèt eas cohibere non possent, sicut Moyses in verbo Domini fecit, ut tantùm in flumine remanerent. At cùm ventum est ad scyniphas, & nihil inde facere potuissent, dixerunt digitum Dei sibi esse con-

Exod. 8.

trarium, nihilque ulteriùs tale conati. Certè si quilibet homo grandinem potuisset immittere, Iamnes & Mambres immisissent, quia aquas converterunt in sanguinem, & ranas de fluminibus producerunt. quod isti facere non possunt, qui nunc dicuntur Tempestarij.

Exod. 9.

V. Sequitur autem in eodem loco Scriptura: *Extendit Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Egypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur.* Ecce & hic locus solum Dominum ostendit creatorem & auctorem grandinis, non aliquem hominem. Dicant forsitan isti qui hominibus hoc tribuunt, Moysen extendisse virgam in cœlum, & ideo per hominem immissam fuisse tempestatem. Certè Moyses servus Domini erat bonus & justus. Isti autem eos, quos dicunt Tempestarios, non audent fateri bonos esse & justos, sed malos potiùs, & iniquos, & dignos damnatione temporali & æterna, sed neque servos Dei, nisi fortè conditione, non tamen voluntaria servitute. Nam si ad imitationem Moysei homines essent auctores grandinis, servi utique Dei essent, non servi diaboli. Quanquam præmissæ sententiæ neque illos ejus demonstrant auctores, sed solum omnipotentem Deum. Siquidem & Psalmista, qui hujus & grandinis meminit, de Deo dicit: *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina, & tradidit in grandine jumenta eorum, & possessiones eorum igni.* Sed quoniam in præsentis loco addit Psalmista immissionem per angelos malos; sciendum quòd vindictarum aut probationum flagella per ministros malos exercent Deus, qui voluntatem quidem nocendi de suo habeant, potestatem autem ab illo accipiant. Sicut enim eorum propria est voluntas nocendi, sic solius Domini potestas ut possint quæ volunt. Non est certè hominum potestas, neque bono-

Psal. 77.

num, neque malorum, non est contrariarum fortitudinum potestas, sed solius Domini, qui earum malæ voluntati tribuit potestatem, in quantum vult, & abrogat in quantum non vult ut possint. Nam & in alio quoque psalmo Psalmista sic de Deo ait: *Posuit pluvias eorum, grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum; & percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contrivit lignum finium eorum.* Percussit verè, & verè contrivit; sed non homo, neque angelus malus, nisi solus Deus, sine quo legio malorum angelorum neque porcos potuit nocere, & in mare præcipitare. Deus planè, de quo dicitur: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis, & intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbones ignis.* Et cui cantavimus: *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. Qui operit cælum nubi- bus, & parat terra pluviam, qui dat nivem sicut lanam, mittit crystallum suum sicut buccellas, mittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, & fluent aqua.* Quem laudant de terra, non solum dracones abyssi, verum etiam ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus; non verbum hominis, non verbum angeli mali.

VI. Legimus etiam de grandine in libro Iesu Nave ita: *Congregati igitur ascenderunt quinque Reges Amorrhæorum, Rex Hierusalem, Rex Hebron, Rex Hierimot, Rex Lachis, Rex Eglon, simul cum exercitibus suis, & castrametati sunt contra Gabaon, oppugnantes eam.* Et post pauca: *Dixitque Dominus ad Iosue: Ne timeas eos.* in

Psalm. 104.

Math. 8.

Marc. 9.

Luc. 8.

Psalm. 17.

Psalm. 143.

Psalm. 147.

Psalm. 148.

Iosue 10.

manus enim tuas tradidi illos. Et post pauca: Cùmque fugerent filios, & essent in descensu Bethhoron, Dominus misit super eos lapides magnos de caelo usque Azecha; & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israël. Ecce ergo & in hoc loco apparet, sine ulla imprecatione hominum Dominum misisse grandinem super eos quos tali flagello dignos judicavit. Nam si mali homines, sicut sunt quos isti errantes nominant Tempestarios, id facere potuissent, super filios utique Israël fieret grando, non super adversarios illorum. Sed quia nec mali super bonos, nec boni super malos hoc facere possunt, evidentissimè in hac sententia declaratur. quod & liber quoque Sapientia attestatur, dicens Domino: *Tuam manum effugere impossibile est. Negantes enim nosse te impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt novis aquis, & grandinibus & pluviis persecutionem passi sunt, & per ignem consummati. Quod enim mirabile erat, in aqua, quae omnia extinguit, plus ignis valebat. Vindex est enim orbis justorum. Et post pauca: Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant; ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluvia coruscans.*

Sapient. 16.

VII. Si igitur omnipotens Deus per fortitudinem brachij sui flagellat inimicos justorum novis aquis & grandinibus & pluviis, cujus manum effugere impossibile est, omnino ignorantiam Dei habent qui hæc homines facere posse credunt. Nam si homines grandinem immittere possent, utique & pluvias possent,

Nemo enim grandinem sine pluvia unquam vidit. Possent quoque de inimicis suis se vindicare, non solum ablatione frugum, sed & vitæ ademptione. Quando enim contingit inimicos tempestariorum esse in itinere aut in agris, ut eos occiderent, possent multiplicatam grandinem super eos in unam congeriem fundere, & obruere illos. Nam & hoc quidam dicunt, nosse se tales tempestarios, qui dispersam grandinem, & latè per regionem decidentem, faciant unum in locum fluminis aut sylvæ infructuosæ, aut super unam, ut aiunt, cupam, sub qua ipse lateat, defluere. Frequenter certè audivimus à multis dici quòd talia nosset certis in locis facta; sed necdum audivimus ut aliquis se hæc vidisse testaretur. Dicitum est mihi aliquando de aliquo, quòd se hæc vidisse diceret. Sed ego multa sollicitudine egi ut viderem illum, sicuti & feci. Cùm autem loquerer cum illo, & tentaret dicere se ita vidisse, ego multis precibus & adjurationibus cum divinis etiam comminationibus obstrinxi illum rogans ut non diceret illud nisi quod verum esset. Tunc ille affirmabat quidem verum esse quod dicebat, nominans hominem, tempus, & locum; sed tamen confessus est se eodem tempore præsentem non fuisse. Item in libro Ecclesiastici, qui prænotatur Iesu filij Sirach, scriptum est: *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua, & in tempore con summationis effundent virtutem, & furorem ejus, qui fecit illos, confundent. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Bestiarum dentes, & scorpj, & serpentes, &*

Ecclesi. 39.

romphaea vindicans in exterminium impios. Si igitur grando creata est, sicut & cetera quæ hîc dicuntur, à Deo utique creata est, non ab homine. Item in prædicto libro scriptum legimus: *Vide Eccli. 43. arcum, & benedic qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat coruscationes emittere iudicij sui. Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebula, sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt grandinis lapides. In conspectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aspirabit Nothus. Vox tonitruï ejus verberabit terram, tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus; & sicut avis deponens ad sedendum aspergit nivem; & sicut locusta demergens descensus ejus. Pulchritudinem coloris ejus admirabitur oculus, & super imbrem ejus expavescet cor. Gelu sicut salem effundet super terram; & cum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli. Frigidus ventus Aquilo flabit, & gelabit crystallus ad aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis. Devorabit montes, & exuret desertum, & extinguet viride, sicut ignem. Medicina omnium in festinatione nebula, & ros obvians ab ardore veniens humilem efficiet eum. In sermone ejus siluit ventus, cogitatione sua placabit abyssum, & plantabit illum Dominus Iesus.*

VIII. Ecce in hac magna & proluxa Ecclesiastici libri sententia cum subtilissima ammiratione imperio Dei tribuitur quicquid in aëre fit, quicquid de aëre in terram descendit, quic-

quid mari & ventis; apparitio, splendor, & gyrus arcus; festinatio nivis, terror coruscationis, velocitas nebulæ, suspensio ventorum, verberatio terræ, concertatio aurarum, congelatio aquæ, non solum in nubibus, sicut grandinis & nivis, sed etiam in terra, nivium, pluviarum, & stantium aquarum, vel fluminum discurrentium, & ex gelu desiccatio viridiorum rerum, sicut sæpe videmus, necnon & horum omnium resolutio, quæ fit tempore torantium nebularum, & flatibus Austri, & Favoni. Ad sermonem quoque Dei dicit omnia ista conquietescere & placari. Non ergo in talibus adiutor homo quærat, quia non invenietur, nisi forte sancti Dei, qui multa obtinuerunt, & obtenturi sunt: quorum aliqui potestatem habebunt claudere cælum, ne pluat diebus prophetiarum ipsorum, sicut Helias, & aquas convertendi in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiens voluerint, sicut Moyses & Aaron in Ægyptum. Verè non alius mittit grandinem tempore æstatis, nisi qui & nives tempore hyemis. Nam & utriusque una est ratio ut fiat, quando nubes utroque tempore solito altius elevantur.

3. Reg. 17.

Exod. 7.

IX. In libro quoque beati Iob scriptum est: *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arturo frigus. Flante Deo concrefcit gelu, & rursum latissimè funduntur aquæ. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum; quæ lustrant cuncta per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis Dei duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. Attentè audiendum quod dicitur: Lustrant nubes*

Iob. 37.

per circuitum cuncta, sed quocunque eas voluntas gubernantis Dei duxerit. Si ergo Deus eas gubernat, non potest homo iniquus eas aliam in partem convertere: quia nec imperare Deo potest, nec precibus obtinere meretur. Quod autem subjungitur, *ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terra*, quid aliud intelligendum, nisi ad omne quod præceperit Deus nubibus, vel ad flagellum, vel ad subsidium humanum, ad nives, ad grandines, ad pluvias, ad fulgura, vel fulmina, sive tonitrua, ex quibus plerunque alta ædificia prosterni solent. Sanè non præcepto hominis, sed præcepto Dei, sicut in hac sententia legitur, in qua etiam post paululum subditur: *Numquid scis quando præceperit Deus pluviis ut ostenderent lucem nubium eius? Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias?* In quibus verbis hoc quoque notandum est, quia si homo non novit semitas nubium, nec perfectas earum scientias, multò minùs novit earum officio hominibus prodesse vel obesse; exceptis, ut dictum est, sanctis, qui secundùm voluntatem Dei multa per illum ipso donante possunt, non utique propria aut aliqua contraria virtute, sed voluntate conditoris. sicut sæpe multi fervorum Dei orationibus obtinuerunt ut tempore siccitatis pluvias Dominus largiri dignaretur.

X. Sic enim beatus Iacobus Apostolus, factum Helix Prophætæ in exemplum nobis proponens, exhortatur nos ad orationem recurrere pro tristitia, pro infirmitate, pro remissione peccatorum, dicens: *Orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio iusti*

*Iacob. 5.*

affidua. Helias homo erat similis nobis, passibilis; & orationem oravit ut non plueret, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursus oravit: & cælum dedit pluvias, & terra dedit fructum suum. Helias itaque orationem oravit ut non plueret, & non pluit annos tres & menses sex. Fecit autem hoc propter correptionem & correctionem gentis suæ, id est, ut prius corriperentur de aversione mentis, eò quòd dereliquissent cultum Dei omnipotentis, & post sordes idolorum abirent, & postea flagellati & fatigati, expectatione pluviarum corrigerentur, & redirent ad Dominum Deum quem dereliquerant.

XI. Sic etiam Samuël Propheta, & dux populi Israël, cum corriperet eundem populum propter frequentissimas transgressiones illorum, replicans eis beneficia Dei omnipotentis, & eorum è contrario aversiones, intelligeret idem populus grande malum se fecisse, & Deum offendisse in petendo sibi Regem, orando obtinuit ut insueto tempore terribiliter cum tonitruis & coruscationibus pluvia. Sic denique scriptum est dixisse populo Samuëlem: *State, & videte rem istam grandem quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias; & scietis & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamavit Samuël ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluviam in die illa; & timuit omnis populus nimis Dominum & Samuëlem. Dixitque universus populus ad Samuëlem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidi-*

1. Reg. 17.

*mus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis Regem.* Territi enim vocibus tonitruum & coruscis fulgurum, intercessionem sancti Prophetæ, licet peccatores, tamen ut fideles postularunt; non sicut isti nostri semifideles, qui mox ut audiunt tonitrua vel cum levi flatu venti, dicunt, *Levatiua aura est, & maledicunt dicentes: Maledicta lingua illa, & arefiat, & jam precisa esse debebat, que hoc facit.* Dic, rogo, cui maledicis? iusto, an peccatori? Peccator namque, & ex parte infidelis similis tui, auram, ut dicere soletis, levare non potuit; quia nec virtute sua valuit, nec angelis malis imperare potuit. quanquam nec eorum in hac re sit potestas. Domino non supplicavit, ut orando id obtineret. quia sicut vos, ita & illi quos tempestarios putatis, præstigiis malis fieri hæc putant, non voluntate Dei. licet etiam à Domino Deo hoc peterent, non mererentur adipisci. quod utique iustorum est, non iniquorum: qui in talibus rebus, etsi petunt à Domino aliquid, infideliter & duplici animo petunt, non in certitudine fidei.

XII. Illo præterea tempore quando oratione Helix siccatas erat in terra Israël, etiam pascua pecoribus negabantur. Scriptum est enim:

3. Reg. 18. *Dixit Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si fortè invenire possimus herbam, & salvare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant.* Ecce, ut apparet, de pluvia desperati quòd non esset nisi juxta Helix verba, pro jumentis herbas quærunt juxta fontes & rivos aquarum. Iam enim sentiebant verum esse quod ipsi

Achab Helias dixerat: *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi iuxta oris mei verba.* Et certè Helias annos dixit quanti essent. Iste ergo Achab, ut dixi, quare non rogavit tempestarios ut levarent tempestates, & ut dicere soletis, auras levatitias, per quas inrigata terra habere posset herbas equis & mulis suis ceterisque jumentis, pro quibus sollicitus erat, maxime quia non timebat perdere fruges in campis, & vineas, quæ nullæ omnino tunc erant.

XIII. Nostris quoque temporibus videmus aliquando, collectis messibus & vindemiis, propter siccitatem agricolas seminare non posse. Quare non obtinetis apud tempestarios vestros, ut mittant auras levatitias, quibus terra inrigetur, & postea seminare possitis? Verùm quia id vos nec fecistis, nec facere unquam vidistis & audistis; audite nunc quid ipse Dominus, rerum omnium conditor, rector, gubernator, ordinator, & dispensator, servo suo beato Iob inter cetera etiam de huiusmodi rebus dicat. Etenim cum diabolus inventor mali, princeps & caput omnium malorum, accusator fratrum, accusasset beatum Iob apud Dominum, dicens quòd non recta intentione, id est, soli ei placendi, & solo eo fruendi illi serviret, sed pro terrenarum rerum multiplicatione ac defensione; expetissetque eum tentandum, quatenus tentando ita verum esse ostenderet; improbus, superbus, & stultissimus, quasi mentem viri Dei melius nosset quàm conditor ejus; Dominus quoque justus & misericors, justus ad confundendum diabolum, misericors ad exaltan-

Iob. 1.

dum fidelem famulum suum, concessit illi potestatem, primùm quidem in rebus omnibus, deinde verò in filiis, post etiam in salute corporis, ac deinceps in suasionem conjugis, postremo autem in exprobratione & multifaria despectione famulorum. Sed diabolus victus & confusus recessit; servus Domini victor & triumphans excrevit. Volens igitur pius Dominus, secundùm quod Apostolus dicit de se ipso, ne magnitudo eum revelationum extolleret, ita & illum, ne magnitudo victoriæ elatum redderet, humiliare, non ablatione rerum, quas perdidit, non percussione corporis, per quam jam sicut aurum in camino examinatus erat, non comparatione alicujus magni viri, quia similis ei super terram nullus erat, quippe qui inter homines orientales magnus esset, cœpit tamen eum humiliare vehementer, sublimiter ostendendo illi immensitatem potentiæ suæ, ut fidelis famulus cognoscendo inæstimabilis atque incircumscripti conditoris ineffabilia magnalia, semetipsum despiceret, & despiciendo inclinaret, sicuti & factum est. Nam hoc in verbis eius apparet, quibus ait: *Idcirco ipse me reprehendo,*

*Iob. 42.*

*& ago pœnitentiam in favilla & cinere. Quod alia translatio apertius declarat, dicens: Despexi memetipsum, & distabui, & aestimavi me terram & cinerem.* In hac ergo humiliatione, cùm omnipotens Deus sciscitaretur fidelem famulum, utrum ista aut illa facere posset, aut nosset quis fecerit, aut ubi esset quando fiebant, interrogat de talibus utique quæ nemo alius nisi solus omnipotens facere potest, &

*Iob. 38.*

*dicit: Ubi eras quando ponebam fundamenta*

*terre?*

terra? Et: *Quis posuit mensuras ejus, vel super quo bases illius solidatae sunt? Quis conclusit ostium mare? Et: Numquid conjungere valebis micantes stellas, Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Et: Numquid nosti ordinem caeli? Et: Numquid mittes fulgura, & ibunt. & multa huiusmodi. Inter hæc, inquam, tanta ac talia, inquit etiam ab eo dicens: Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ preparavi in tempus hostis, in diem pugnae & belli? Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitruum? ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur? ut impleret inviam & desolatam, & produceret herbas virentes? Quis est pluviae pater? vel quis genuit stillas roris? De cuius utero egressa est glacies? & gelu de celo quis genuit? In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.*

XIV. Ecce igitur opera Dei magna, quorum rationem nec ipse beatus Iob tam sublimiter, tam subtiliter antea poterat admirari. Si Dominus thesauros habet grandinis, & solus eos aspicit, quos beatus Iob necdum aspexerat; ubi eos invenerunt isti tempestarij, quos beatus Iob non invenit, neque invenire possumus, sed neque æstimare ubi inveniuntur? Dominus interrogat fidelem famulum, utrum sciat quis dederit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitruum. Isti autem contra quos sermo est, ostendunt nobis homunculos à sanctitate, justitia, & sapientia alienos, à fide & veritate

nudos, odibiles etiam proximis, à quibus dicant vehementissimos imbres, sonantia aquæ tonitrua, & levatitias auras posse fieri. Dominus dicit se hæc præparasse in tempus hostis, id est, ad vindictam. Isti eisdem ipsos hostes atque adversarios æquitatis (in quibus quammaximè, post eos qui terminos transferunt, auferunt pro pignore bovem viduæ, lacertos pupillorum comminuunt, nudos dimittunt homines quibus non est operimentum, egenos educunt de domibus eorum, homines contristant, vindicandum est) dicunt eorum habere potestatem quæ Dominus ad vindictam hostium suorum præparavit. Dominus se dicit pluvie patrem, & gelu de cælo se generasse confirmat. Isti miserimos hominum dicunt habere magnam portionem hujus dispensationis. Quòd in similitudinem lapidis aquæ durantur, Dominus nobis mirandum proponit. Hoc si ad libitum miserimorum horum hominum aliquando fieri posset, proculdubio mirandum non esset.

XV. Hæc stultitia est portio non minima infidelitatis; & in tantum malum istud jam adlevit, ut in plerisque locis sint homines miserimi, qui dicant se non equidem nosse immittere tempestates, sed nosse tamen defendere a tempestate habitatores loci. His habent statutum quantum de frugibus suis donent, & appellant hoc canonicum. Multi verò sunt qui sponte sacerdotibus decimam nunquam donant, viduis & orphanis ceterisque indigentibus eleemosynas non tribuunt, quæ illis frequenter prædicantur, crebrò leguntur, subinde ad hæc exhortantur, & non acquiescunt.


Canonicum autem quem dicunt, suis defensoribus (à quibus se defendi credunt à tempestate) nullo prædicante, nullo admonente, vel exhortante, sponte persolvunt, diabolo inlicente. Denique in talibus ex parte magnam spem habent vitæ suæ, quasi per illos vivant. Hoc non est portio, sed ferè plenitudo infidelitatis; & si diligenter consideramus, absque ambiguo pronuntiabimus, id plenitudinem esse infidelitatis. Tres namque virtutes sunt, secundùm scripturas divinas, in quibus totus comprehenditur cultus, per quas colitur Deus, id est, Fides, Spes, Caritas. Quicumque igitur fidem & spem suam partitus fuerit, ut ex parte credat in Deum, ex parte credat hominum esse quæ Dei sunt, & ex parte speret in Deo, ex parte autem speret in homine, hujus profectò fidem & spem divisam non accipit Deus; ac per hoc inter fideles censerì non potest; & quem partita fides & spes à numero fidelium secernit, vorago proculdubio infidelitatis absorbet; meritòque talis maledictum illud incurrit Prophetæ dicentis:

*Maledictus homo qui spem suam ponit in homine.* Neque verò blandiatur sibi dicens, Magis spero in Deo quàm in homine: quia spes per partes dividi non potest. Aut enim tota erit, & tuta; aut intuta erit, & nulla.

Hier. 17.

XVI. Ante hos paucos annos disseminata est quædam stultitia, cùm esset mortalitas bouum, ut dicerent Grimaldum Ducem Beneventorum transmisisse homines cum pulveribus, quos spargerent per campos, & montes, prata, & fontes, eò quòd esset inimicus Christianissimo Imperatori Carolo, & de ipso sparso

pulvere mori boves. propter quam causam multos comprehensos audivimus, & vidimus, & aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen projectos, atque necatos. Et, quod mirum valde est, comprehensi, ipsi adversum se dicebant testimonium, habere se talem pulverem, & spargere. Ita namque diabolus, occulto & justo Dei judicio, accepta in illos potestate, tantum eis succedere valebat, ut ipsi sibi essent testes fallaces ad mortem; & neque disciplina, neque tortura, neque ipsa mors deterrebat illos, ut adversum semetipsos falsum dicere non auderent. Hoc ita ab omnibus credebatur, ut penè pauci essent quibus absurdissimum videretur. Nec rationabiliter pensabant unde fieri posset talis pulvis, de quo soli boves morerentur, non cetera animalia, aut quomodo portari posset per tam latissimas regiones, quas superspargere pulveribus homines non possunt, nec sibi Beneventani viri & feminae, senes & juvenes, cum ternis carris pulvere caricatis egressi de regione fuissent. Tanta jam stultitia oppressit miserum mundum, ut nunc sic absurdè res credantur à Christianis, quales nunquam antea ad credendum poterat quicquam suadere paganis creatorem omnium ignorantibus. Hanc itaque rem propterea ad medium deduximus, quia huic unde loquimur similis est, & vel exemplum poterat tribuere de inani seductione & vera sensus diminutione.



ITEM LIBER CONTRA  
*objectiones Fredigisi Abbatis.*

I. **R**EVERENTISSIMO ac beatissimo  
 Domino & Patri Fredegiso Abbati.  
 Dudum modestiæ vestræ benignitas adversum  
 nos, peccatis nostris exigentibus, mota, talibus  
 nos invectionibus perculit, quæ lenitatis ac sin-  
 ceritatis vestræ modum excedere viderentur,  
 nisi in refellendis nobis tali redargutione utere-  
 mini, quæ verbis tantum à vobis proferretur,  
 corde tamen non approbaretur. Nam si illa om-  
 nia quæ adversum nos protulistis, & ex parte  
 finxistis, ita à vobis sensa essent ut prolata sunt,  
 non solum modestiam vestram transgrederemi-  
 ni, verum etiam veritatem offenderetis. Et id-  
 circo, sapientissime vir, si dignatur admittere  
 magnitudo vestra, nitimur nos per has litterulas  
 purgare ab illis criminibus quæ adversum nos  
 in vestris litteris exarata reperimus. Recordari  
 dignamini litterarum vestrarum, quas tunc ad-  
 versum nos novissimè dedistis; & cognoscite  
 contra quæ crimina nunc respondere curamus.

II. Scripsistis igitur in præfatione dicentes:  
*Si ad omnia quæ in vestra dilectionis cartula scri-  
 pta reperimus, respondendum judicaremus, non  
 tantum cartula, verum prolixioris libri modum  
 excedere videremur. Sed quia compendij causa,  
 pauca ex plurimis summatim attingere libuit.*  
 Ex quibus verbis vestris apparet omnia vos illa  
 reprehendisse quæ in nostra cartula scripta repe-  
 ristis. Sed qui omnia reprehenditis, nihil lau-

datis; cuncta refellitis, nihil recipitis; quàm  
 justè hoc faciatis, ex istis perpendite, quæ com-  
 pendij causa summatim attrigistis. Quia si ista  
 tam injustè reprehendistis, quanto injustiùs il-  
 la quæ reliquistis? Et primùm quidem de his  
 quæ vobis attingere libuit, assumitis refragan-  
 dam nostram sententiam, qua diximus: *Qui  
 enim verè humilis est, abjecta de se sentit; & qui  
 abjecta de se sentit, errasse se non dubitat.* Quam  
 sententiam ut veram non esse ostendere videa-  
 mini, probatis Dominum Iesum Christum verè  
 humilem fuisse, & dicitis: *Quia verè humilis  
 erat secundùm nos, abjecta de se sentit, & errasse  
 se non dubitavit.* Quod quàm calumniosè à vo-  
 bis dictum sit, quæsumus dignamini perpende-  
 re. Quis enim fidelium ignorat, quia nec nos  
 debemus unquam, cùm de abjectionis humili-  
 tate & peccati confessione loquimur, quæ vera  
 in hominibus proculdubio esse debent, Domi-  
 num nostrum Iesum Christum ceteris homini-  
 bus permiscere; nec vos debuistis pro eo quòd  
 Dominus Iesus Christus abjecta de se non sen-  
 sit, & errasse se nunquam cognovit, ceteros  
 homines ab humilitate abjectionis & peccati  
 confessione defendere in tantum ut ex hoc pro-  
 bare velitis, sicut in vestris apparet litteris, nul-  
 lum verè humilium abjecta de se sentire, nul-  
 lum se peccatorem fateri debere.

III. Nempe, ò venerabilis magister, puta-  
 bat ac putat nostra insipientia, quia cùm de ra-  
 libus rebus loquitur homo, non debet Domi-  
 num nostrum Iesum Christum ceteris aggrega-  
 re hominibus: quia humanitas quæ à Verbo as-  
 sumpta est, quanquam habeat naturam nostro-

rum corporum, non tamen habet originem. Nos enim ex humano semine coagulamur, ille de Spiritu sancto natus est: qui etsi homo factus est propter nostram salutem, Deus tamen esse non desit: qui licet homo verus sit, verus tamen & unus est Deus cum Patre & Spiritu sancto. Illa namque humilitas, qua Dominus noster Iesus Christus, cum in forma Dei Patris esset, semetipsum exinanivit ut formam servi acciperet, inclinatio fuit miserationis, non evacuatio potestatis; qui etsi abjecta passionis pertulit, tamen Deo Patri æqualem se esse innotuit. Æqualis omnino est Patri, non minor est gloria, non posterior tempore, non inferior potestate: qui propterea factus est homo, non ut erraret, sed ut erraticam ovem inventam humeris suis gestaret, & ad domum cœlestis patriæ, ad paternam scilicet visionem perduceret. Et idcirco non est consequens, immo valde injustum est, ut cum quis ea quæ hominum sunt verè loquitur, alter dominica comparatione evacuet. Iterum atque iterum dicimus, quia pervicacis hominis est dominico exemplo impugnare ea quæ de puris hominibus veraciter dicuntur, quorum nullus extitit sine peccato, sicut scriptum est:

*Non est justus quisquam qui faciat bonum, & non peccet. Et iterum: Nemo mundus à sorde, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram.*

Rom. 3.

Eccli. 7.

De Domino Apostolus Petrus testatur, dicens:

1. Petr. 2.

*Quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Numquid quia hoc verum est, propterea hoc verum non erit illud quod Paulus ait:

Esai. 53.

*Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.*

Rom. 3.

IV. Quia dicitis, *His bene perspectis, apparebit*

*hanc vestram non esse veram ratiocinationem; hæc qualiter dixeritis æstimare non possumus; affirmare tamen audemus, quia qui hanc ratiocinationem veram esse negat, necdum cognovit quemadmodum eam oporteat scire. Quid ergo est quòd Apostolus, dum de Domino loqueretur, dicens, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, præmisit: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Et paulò antè dixerat: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantur. Si verum non est ut is qui verè humilis est, abjecta de se sentiat; quare Abraham cum Domino loquens, cinerem se pulveremque fatetur? Moses quoque non se esse eloquentem testatur, & ex quo ei Dominus loqui cœpit, impeditiorem & tardiozem se esse linguam dicit. De se quoque & Aaron ad populum ait: Nos enim quid sumus? Gedeon etiam, quem angelus fortissimum virorum appellat, ille è contrario tam abjecta de se sentit, ut se minimum in domo patris sui dicat, & familiam suam infimam in Manasse. Saul quoque cum penè his verbis de minima tribu esse se diceret, & in eadem tribu minimum se recognosceret, ita ut indignum se regio honore fateretur, in Regem electus est. Vnde Dominus ei loquitur: Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. David quoque (de quo Dominus loquitur, Inveni virum secundum cor meum, quia verè humilis erat) tam abjecta de se sensit ut non solùm ad regnandum indignum se esse testaretur, verùm*

Philipp. 2.

Genes. 18.

Exod. 4.

Iudic. 6.

Iudic. 6.

1. Reg. 9.

etiam  
 mat  
 caner  
 sequi  
 in me  
 regni  
 tur, a  
 sum,  
 Dom  
 elati  
 neque  
 se qu  
 solun  
 tates  
 quoq  
 rem,  
 testin  
 series  
 V.  
 ut qu  
 aut pe  
 contra  
 ctos i  
 novin  
 fin, u  
 pecca  
 gum a  
 pueri  
 judici  
 nostra  
 cedent  
 statur  
 fao in  
 descet

etiam gener fieret Regis; qui postea de ipso clamat ad Saul: *Quem persequeris, Rex Israël?* 1. Reg. 24.

*canem mortuum, & pulicem unum?* Sicque persequi conqueritur, quasi si persequatur perdix in montibus. Postea verò cum esset in magna regni gloria, nullumque adversarium pateretur, ait: *Ludam, & vilior fiam plusquam factus* 2. Reg. 6.

*sum, eròque humilis in oculis meis.* Et iterum: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque* Psal. 130.

*elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me, & cetera.* Errasse se quoque non dubitavit, quia sæpissime non solum errores suos confitetur, sed etiam iniquitates, peccata, delicta, scelera, infirmitates quoque, & turbationes, timorem, ac tremorem, anxietatemque cordis: quorum omnium testimonia si ponere voluerimus, prolixi operis series ordinabitur.

V. Vos dicitis quia non est vera ratiocinatio, ut qui verè humilis est, abjecta de se sentiat, aut peccasse se indubitanter credat. Nos verò è contrario per hanc ratiocinationem omnes sanctos in suis precibus à Domino exauditos esse novimus; sicut Daniele in suam exomologesin, ubi confitebatur non solum peccata sua, & peccata populi sui, verum etiam peccata Regum ac Principum, vel Sacerdotum. Tres etiam pueri in camino ignis clamabant in veritate & iudicio: *Induxisti omnia hæc propter peccata* Dan. 3.  
*nostra. Peccavimus enim, & iniquè egimus, recedentes à te.* Dominus quoque in Evangelio testatur Publicanum, qui ascenderat cum Pharisæo in templum ut oraret, idcirco justificatum descendisse in domum suam, quia abjecta de se

Luc. 18.

Matth. 8.

Matth. 15.

Job. 33.

Job. 31.

Ibid. 42.

Job. 33.

sciens, à longè stabat, & nolebat nec oculos ad cælum levare; & peccasse se non dubitans, percutiebat pectus suum, dicens: *Deus, propicius esto mihi peccatori.* De Centurione quoque quare Dominus ait quòd nec in Israël tantam fidem invenerit, nisi quia idem Centurio abjecta de se sentiens, & alta de Domino sapiens, semetipsum, ut ait, indignum arbitratur ire ad deprecandum Dominum ut sanaret puerum ejus, sed potiùs amicos suos misit, & iterum per internuntium mandavit Domino, dicens: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Mulier verò Chananæa, cui Dominus clamitanti respondit, *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus,* statim consentiens, ait: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et idcirco audire meruit: *O mulier, magna est fides tua.*

VI. Quòd si aliquis objecerit nobis verba justi verè humilis dicentis: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Et iterum: *Hec passus sum absque iniquitate manus meæ.* audiat rursus eundem justum humiliter confidentem: *Peccavi. Quid faciam tibi, ô custos hominum?* Et iterum: *Quantas habeo iniquitates, peccata, scelera, atque delicta, ostende mihi.* Et iterum Scriptura dicit quia is quem Deus propterea flagellat, ut doloribus eruditus, abjectionem & peccata sua recognoscat, respicit homines & dicit: *Peccavi, verè deliqui, ut eram dignus non recepi.* Quare ergo vos dicitis non esse verum, ut verè humilis abjecta de se sentiat, aut peccasse se credat; cùm apertissimè pateat

hoc proprium esse sanctorum, non superborum?  
 Cur Iohannes Apostolus ait: *Si dixerimus quia* 1. Ioan. 1.  
*peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &*  
*veritas in nobis non est. Si verò confiteamur deli-*  
*cta nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis*  
*peccata.* Qui si secundum vos magna de se, non  
 abjecta, sentire voluisset, habebat unde gloria-  
 retur, quia & supra pectus Domini recubuit, &  
 præ ceteris discipulis ab illo dilectus est. Iacobus  
 quoque Apostolus ait: *In multis enim offendimus* Iac. 3.  
*omnes.* Quæ si quis putaverit non veraciter, sed  
 tantum humiliter dicta, noverit se in hoc sensu  
 Pelagium sequi; & propterea, si corrigi vult,  
 legat libros beati Augustini contra Pelagianis-  
 tas, & sciat omnes sanctos veraciter se de pec-  
 catis accusasse, ita ut necesse habeant pro se ip-  
 sis dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Sed de  
 his quanta dici possunt, vos nosse non ambi-  
 gimus.

VII. Dicitis etiam tota vos intentione divi-  
 nam scripturam cum editoribus, interpretibus,  
 atque expositoribus suis ab imperitiæ nostræ  
 calumniis defendere. Ad quam rem non respon-  
 debimus vobis: quia sicut de quibusdam dicitur,  
*illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor,* Psal. 13.  
 ita & vobis dici potest: Illic tota intentione  
 paravit defensionem, ubi nulla erat omnino ne-  
 cessitas defensionis. Quis enim de nobis calum-  
 niatus est unquam editorem aut interpretem  
 aliquem divinarum scripturarum? Dicitis re-  
 prehendisse nos Apostolos, & interpretem,  
 quos tantum putabamus unquam reprehenden-  
 dos, quantum nunc putamus veritatis vitupe-  
 ratores laudandos. Diximus namque quia in-

terpretes divinatorum voluminum vel exposito-  
res non curarunt omnino tenere indeclinabili-  
ter regulam grammaticæ artis, quod utique  
neque imperitia, neque malitia fecerunt, sed  
ratione condescensionis; ut sicut usus sanctæ  
Scripturæ est verbis condescendere humanis,  
quatinus vim ineffabilis rei humano more lo-  
quens, ad notitiam hominum deduceret, &  
mysteria insolita solitis ostenderet rebus; ita &  
interpretes ejus eam sequendo, illud studue-  
runt summopere transferre, unde manifestio-  
rem sensum legentibus præberent, etiam si con-  
tra grammaticam essent eatenus, ut sacramen-  
to rei concordaret. Et ita hoc ad nostram sum-  
pimus defensionem, ut sicut illos, qui poterant,  
si voluissent, omnia secundum disciplinam  
grammaticam proferre, sed ut nobis condes-  
cenderent, & simplicitatem veritatis non defe-  
rerent, non sunt veriti aliqua contra eandem  
disciplinam loqui, reprehendere nullus debet,  
ita nobis omnino debet parcere, qui etiam si ve-  
limus omnia secundum grammaticam loqui,  
non possumus, si tamen fidem rectam & sensum  
catholicum tenemus, in hisque verbis quibus  
possumus dicimus, sicut & vos testimonio Prisciani ostenditis, qui dixit: *Nibil enim ex omni  
parte perfectum in humanis credo esse inventio-  
nibus posse.*

*Priscian. in  
Præfat. lib. 1.*

VIII. Assumpsistis grandem laborem,  
non necessarium, quasi defendentes Evan-  
gelistam, vel Interpretem, quod non fru-  
stra vel Evangelista ediderit vel Interpretes tran-  
stulerit plurali numero sanguines, secundum  
quod certa ratio postulavit. quam rem non so-

lūm non reprehendimus, sed neque ab impiis  
 audivimus unquam reprehensam. Et cū in hac  
 defensione tantopere laboraveritis, nihil nobis  
 vestro labore innotuistis. Iam enim legeramus  
 sanctos Doctores ita ut exposuisse, quōd Inter-  
 pres ideo plurali numero sanguines in hoc loco  
 transtulit, quia sensum Evangelistæ, quem ille  
 in Græco edidit, hoc in Latino transferre ali-  
 ter non potuit; non sicut vos dicitis propterea  
 fecit, quia in Græco pluraliter invenit. Nam  
 sunt multa nomina quæ in Hebræo vel Græco  
 alterius generis aut numeri esse inveniuntur,  
 non ejus cujus sunt in Latinum. Nec tamen In-  
 terpres eodem genere quo invenit, transferre  
 curavit, quia nulla necessitas compulit. Sicut,  
 verbi gratia, *Spiritus* apud Hebræos, genere  
 dicitur feminino; & cū sit in Latino generis  
 masculini, nullus interpretum Hebræicum se-  
 quens genere feminino in Latino ponere tenta-  
 vit, etiam cū necessitas posceret. Nam inve-  
 nitur in Scripturis ubi Spiritus sanctus per ge-  
 nus femininum significatur, nec tamen à Latinis  
 feminino genere dicitur. Peccatum quoque in  
 Hebræo generis masculini est, in Græco femi-  
 nini, in Latino neutri; & cū in Scripturis,  
 multis rebus significetur, nullus tamen Latino-  
 rum genus ejus mutavit, quia nec aliqua utilitas  
 postulavit. Hæc idcirco diximus, quia vos dici-  
 tis propterea Interpretem sanguines plurali  
 numero transtulisse, quia apud Græcos plurali-  
 ter effertur; cū non ita sit. Sive interpretes,  
 sive expositores divinorum eloquiorum, ut in-  
 tegratem sensus ostenderent, contra gramma-  
 ticam loqui non timuerunt: quos non solum

non reprehendimus, verum etiam per eos a reprehensione defendi cupimus. Quia sicut illi laudandi sunt in verbis contra grammaticam prolatis, ita nos tolerandi: quia illi divites in verbis, sicut voluerunt, dixerunt; nos vero pauperes, ut possumus per angustias verborum tenuiter ea quae volumus significamus. Et si illorum filij sumus, & ab eorum sensu & fide non erramus; quod in illis amatur, in nobis toleratur; atque is, cui loquimur, sensum attendat, non verba, ut audiat consilium Apostoli dicentis: *Noli verbis contendere. Et: Ne sit languens circa questiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemia, suspiciones male.*

1. Tim. 2.  
1. Tim. 16.

IX. Illud vero quod post verba Doctorum verbis vestris subjunxistis: *Ita igitur hoc modo Apostoli & Evangelistae & totius divinae scripturae interpretes, cum catholicis ejus expositoribus, ab imperitia calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil enim omnino contra regulam grammaticam dixerunt, quod non ita aut ratio aliqua, aut causa mysterij dici exigeret.* Ab his verbis vestris multum ecclesiastici Doctores dissonant. Exiguitati nostrae videtur, quod neque vos neque nos de hac re aliquid sentire aut dicere debemus, nisi ea quae orthodoxos magistros sensisse aut dixisse legimus. Ista tamen inconcussa & firma auctoritas illorum auctorum est, per quos Spiritus sanctus novi & veteris testamenti volumina confecit; de quibus nulli unquam homini licuit aut licet cogitare vel unam litteram aliter eos dicere debuisse quam dixerunt, quoniam eorum auctoritas firmiter

est cælo ac terra, secundum quod Dominus ait: *Facilius est cælum & terram transire, quàm de lege unum apicem cadere.* *Math. 6.* Post hos quoque firma auctoritas est Septuaginta interpretum, quos constat ante adventum Domini de Hebraico in Græcum eloquium vetus testamentum transtulisse. Interpretis quoque nostri Hieronymi Presbyteri fidelis est editio, quæ de Hebraico in Latinum magnificè transtulit. Fuerunt præterea aliqui venerandi & catholici interpretes Latini, qui Septuaginta editionem in Latinum transtulerunt eloquium. Extra hos itaque multi fuerunt interpretes reprehensibiles, & justè reprehensi; sicut illi famosissimi interpretes Iudaizantes, & hæretici, Aquila scilicet, & Theodotio, ac Symmachus; ex quibus unus fecit duas editiones inter se dissonantes. Fuerunt etiam Latini aliqui, quos Hieronymus Presbyter reprehendit in illis utique præfationibus quas præposuit libris quos de Græco in Latinum aut transtulit, aut emendavit; sicut in illa præfatione quam juxta Græcam emendationem in libro beati Iob fecit, asserens quòd idem liber apud Latinos ita erat decurratus, conrosusque, ut fæditatem suam publicè legentibus ostenderet. Sic etiam in aliis locis quosdam reprehendit interpretes.

X. Hæc de interpretibus idcirco ita dicimus, quia magistri speciales non omnes æqualiter receperunt, aut indifferenter laudaverunt, sicut vos facere videmini, neque omnibus æqualiter fidem adhibuerunt. De expositoribus quoque multò aliter quàm vos dicitis, beatus Pater Augustinus tenendum tradidit: qui non

folùm de illis qui reprehensi sunt à Doctõribus, etiam de probatissimis, in libro quem adversùs Faustum Manichæum scripsit, ita dicit:

*Quod genus litterarum, id est, expositionum, non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legendum est. Solinamque divina auctoritatis libri legendi sunt, non cum iudicandi libertate, sed cum credendi necessitate. Quam formam Apostolus tradidit dicens, Spiritum nolite*

1. Thessal. 5.

*extinguere, prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. In hoc loco Apostolus Paulus prophetias dixit doctrinas & expositiones Doctorum, sicut alibi insinuat dicens: Pro-*

1. Cor. nth. 14.

*pheta duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent. non illam prophetiam de qua Apostolus Petrus ait:*

2. Petr. 1.

*Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

XI. Hæc omnia idcirco dicimus, ut appareat quia quàm injustè à vobis criminamur, cum dicitis nos reprehensores Apostolorum & divinarum Scripturarum esse, tam injustè vel potiùs multò injustiùs quoscunque interpretes atque expositores cœquatis Apostolis & Evangelistis, cum Symmachum & Paulum & Dydimum & Iohannem una defensione indifferentique laude dignos ducitis. Bonum est recordari verborum Domini, quibus ait: *Nonne si rectè offeras, & non rectè dijudicas, peccasti? Qui enim rectè credit catholicam fidem, rectè videtur offerre. Sed si quibuscunque Doctoribus aut Interpretibus cum Apostolis & Evangelistis æqualem venerationem tribuit,*

non

non rectè dividit, atque ideo peccat.

XII. Post illa quæ superius dicta sunt verba nostra, addidistis dicentes: *Turpe est enim credere Spiritum sanctum, qui omnium gentium linguas mentibus Apostolorum infudit, rusticitatem potius per eos quam nobilitatem uniuscujusque lingua locutum esse.* Hæc qua intentione dixeritis, nullus eorum qui otiosa loqui timent, intelligent; nisi fortè hoc etiam nobis crimen superadditis, quasi rusticitatis reprehendamus Spiritum sanctum. Quod si ita est, id est, tali intentione ista dicitis; quid ad hæc respondere possumus, nisi: Ipse occultorum cognitor, cordium testis, scrutator renum, omnipotens Deus videat, & audiat. Extra hoc autem quòd tale sacrilegium nobis impingere videmini, apparet etiam in his verbis vestris quòd ita sentiatis de Prophetis & Apostolis, ut non solùm sensum prædicationis, & modos, vel argumenta dictionum, Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ora illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur quis dinumerare poterit? Et in primis quidem, ut cautè scientiæ vestræ loquamur, recordamini quid Moyse Domino dicat, cùm se excusaret ne ad Pharaonem mitteretur, asserens se gracilis esse vocis & impeditioris linguæ. Cui Dominus nequam respondit, Mentiris; sed annuens obsecranti, ait: *Ecce Aaron frater tuus, scio quòd*

*Exod. 4.*

*Exod. 6.*

*eloquens sit. ipse erit Propheta tuus. tu loqueris ad eum, & ille loquetur ad Pharaonem.* Adtendite quia si secundùm vos ipsa verba corporalia in ore Moyse sonantia ejus erant, & vox quæ

M

sonabat, quare ergo gracilis vox? quare ergo impeditior sermo? Aaron erat Propheta Moyfi, Moyfes Propheta Dei. Quare ergo robustior vox & expeditior sermo in Propheta Moyfi, quàm in Propheta Dei? Numquid & hoc vitium, gracilitatem scilicet vocis, & linguæ impeditioem, Spiritui sancto tribuetis? Restat ergo ut sicut ministerio angelico vox articulata formata est in ore asinæ, ita dicatis formari in ore Prophetarum. Et tunc talis etiam absurditas sequetur, ut si tali modo verba & voces verborum acceperunt, sensum ignorarent. Sed absit talia deliramenta cogitare. Nos si de eloquentia Pauli Apostoli aliquid diximus, verba Hieronymi Doctoris posuimus, quibus in quodam loco ait: *Qui putant Paulum juxta humilitatem, & non verè dixisse, Et si imperitus sum sermone, non tamen scientia, defendant hujus loci consequentiam.* Et iterum: *Si verò qui potèst etiam juxta sermonis eloquio contextum docere Apostolum fuisse perfectum, & in artis grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est.* Nos quotiescunque solæcismos aut tale quid adnotamus, non Apostolum pulsamus, ut mali-voli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus; quòd Hebræus ex Hebræis absque rhetorici sermonis nitore, verborum compositione, & eloquij venustate, nunquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Qui etiam in præfationibus Esaiæ, Hieremiæ, & Ezechielis quid de differentia locutionis Prophetarum eorum dixerit, diligenter perpendite; & invenietis nobilitatem divini elo-

Num. 22.

2. Corinth. 11.

1. Corinth. 1.

quij  
re I  
verl  
dun  
mon  
que  
ita  
ejus  
Ezec  
serm  
possi  
tater  
phos  
la ef  
suun  
stolu  
non c  
mun  
titua  
& in  
in ob  
sit m  
in sa  
Etru  
vos,  
nis a  
Chri  
perfe  
prim  
quim  
dita  
in do  
na f  
X

qui, non secundum vestram assertionem, more Philosophorum, in tumore & pompa esse verborum, sed in virtute sententiarum, secundum quod ipse Apostolus ait: *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* 1. Cor. 4. Esaias quoque Propheta populum dicit esse alti sermonis, Isa. 28. ita ut non possit intelligi disertitudo linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. Et Dominus ad Ezechielem dicit: *Non enim ad populum profundum sermonis & ignota lingua tu mitteris, quorum non possis audire sermonem.* Ezech. 3. Ex quibus patet nobilitatem sacræ Scripturæ, non secundum philosophos in disertitudine esse verborum, in quo nulla est sapientia, sed in potentia & astutia sensuum, atque virtute sententiarum; sicut Apostolus ostendit, dicens: *Arma militia nostræ, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. 10. Et iterum: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* 1. Cor. 1. Et rursus post aliqua: *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* 1. Cor. 2. Et iterum: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Et post pauca: *Quæ & loquimur; non in doctis humane sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.*

XIII. Ecce quia laus divinæ sapientiæ in

M ij

facris mysteriis & in doctrina spiritus invenitur, non in adinventionibus verborum. Vos sumpsistis testimonia beati Augustini multa de laude Scripturæ; sed non illo modo vos laudatis, quo laudavit Augustinus, aut Hieronymus, Ambrosius, atque Gregorius. Nam illi majestatem divinæ loquutionis admirantes, sed rem ineffabilem fando non explicantes, oppressi gloria in laude ejus succubuerunt, cum magis admirando sufficerent, quàm loquendo. Vos sic laudatis, ut laude vestra magis minoretur, quàm augetur: quoniam in his quæ extrinsecus sunt, dicitis nobilitatem linguarum ministrasse Apostolis Spiritum sanctum, ut confusè & indifferenter cum Apostolis omnes interpretes & quoscunque expositores laudatis & defendatis. Nam si, secundum vos, omnibus auctoribus divinorum librorum exteriorem nobilitatem æqualiter ministravit Spiritus sanctus; quare unus Apostolus, id est, Paulus, disertior invenitur in Hebraïca lingua quàm in Græca, sicut prædictus Hieronymus in præfatione epistolæ quæ ad Hebræos prætitulatur scribit, dicens: *Non est sanè mirum, si eloquentior videatur in proprio, id est, Hebræo, quàm in peregrino, id est, Græco sermone, quo cetera epistolæ sunt scripta.* Ecce habes disertiores Paulum in una epistola quàm in ceteris. Sed tamen ipsæ ceteræ epistolæ, licet in sermone minus ab illa aliquid habere videantur, tamen in arcanis sensibus, secretis mysteriis, ac figuris locutionum, in quibus omnem sapientiam hujus mundi incomparabiliter superant, minoris virtutis non sunt.

XIV. Post multas & graves calumnias, quas

nobis infixistis, dicentes nos divinæ locutionis reprehensores, defenditis bene vos dixisse, *Anima quando ad corpus pervenit*; & sumitis testimonia de Scripturis dicentes: *Spiritus redeat ad eum qui dedit illum.* Et: *Revertatur anima pueri intra eum.* Quæ testimonia nullatenus congruunt rei cui defendendæ adhibentur. Quis enim ignorat animam semel à Deo creatam, substantiam esse deinceps, & æternam, atque in sua substantia immortalem? ac per hoc, post solutionem corporis, posse ad eum redire justam, & deorsum descendere injustam, & intra corpus reverti ad hanc vitam resuscitandam? Hæc de animabus à corporibus jam solutis fieri nullus ignorat. Sed nos hoc reprehendimus quod vos de animabus corporibus infundendis dixistis: *Anima quando ad corpus pervenit*: quasi noveritis de qua regione adveniat, aut forsitan noveritis in qua regione jaceat illa incognita materies, unde animas dicitis creari in vacuo, super quem Aquilo extensus est, aut in interioribus Austri, vel forsitan in ortu solis aut occasu, aut unde dicitis animas pervenire, utique inde pervenire possunt, ubi creantur, ut ad corpora transmittantur. Sed cum dicitis eas pervenire; non ipsis eas corporibus creatas creditis, sed longè alicubi. Et inquisivimus à vobis utrum in cœlestibus, an in aliqua parte mundi sit ipse locus, vel extra mundum. Sed de hoc sit ut vultis, tantùm ut cujuscunque testimonium cum Augustino altercantis tanquam ejusdem Augustini non nobis opponatis. Nos tamen illud præcipuè tenendum putamus, quod divinæ Scriptura de hac re docet, dicens: *Quomodo nescis* Eccle. 11.

que sit via spiritus, & quare ratione compingantur ossa in ventre pregnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Ecclesiastici quoque Doctores in suis dogmatibus fidem tenendam docuerunt, animam non esse partem divinæ substantiæ vel naturæ, nec esse eam prius quam corpori misceatur; sed tunc eam creari quando & corpus creatur, cui admisceri videtur. Philosophorum sententiæ dicunt esse animam prius quam nascatur in corpore. quod verum esse nullis approbatur indiciis. nam utrum antè fuisset, nec ipsi novimus, nec quis hominum dicat habemus. Non est ergo quærendum quod quærendum magis est inridendum.

XV. Deinde interrogastis nos, utrum aliud sit Deus, aliud veritas, ita ut Deus ipse veritas non sit. Hanc vestram interrogationem in tantum miramur, ut putemus vos illam jocando & ridendo dictasse. Quis audivit talem interrogationem? Numquid si aliud aliquid veritas fuerit, jam Deus veritas non erit? Dicite vos, si ubicunque in sacris Scripturis veritas nominatur, semper Deus intelligendus est? Certè nos dicimus frequenter in Scripturis nominari veritatem, quæ contraria est mendacio; sicut etiam solet nominari caritas hominum, dilectio, quæ contraria est odio, & concordia, quæ opposita est discordiæ. Ergo ubi Paulus ait, *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior*, sic intelligitis, quasi diceret, Deum dico, aut Christum dico, in Christo Iesu. Aut ubi ait, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, ipsum Deum intelligitis veritatem. Et iterum, ubi scriptum est, *Rex qui iudicat in*

Rom. 9.

Ephes. 4.

Prov. 29.

*veritate pauperes, thronus ejus in eternum firma-*  
*bitur. Et iterum: Labium veritatis firmum erit.* *Proverb. 12.*  
 Et rursus: *Qui loquitur veritatem in corde suo.* *Psal. 14.*  
 In Hieremia quoque: *Omnis amicus fraudulen-*  
*ter incedet, & veritatem non loquetur.* Et Oseæ:  
*Non est enim veritas, & non est justitia, & non est* *Oseæ 4.*  
*miseriordia Dei in terra.* Et in Zacharia: *Veri-* *Zachar. 8.*  
*tatem & judicium pacis judicate in portis vestris.*  
 Numquid sic intelligi poterit, quasi diceret,  
 Deum judicate in portis vestris? Ecce habes in  
 Scripturis frequenter dici veritatem, non pro  
 ipso Deo, sed pro illa virtute quæ opposita est  
 injustitiæ & falsitati. Attamen non sicut vos vul-  
 tis, ut Deus ipse veritas non sit, sed potiùs ut &  
 Deus veritas sit.

XVI. Deinde verò cum vestris syllogismis  
 affirmare nitimini Christianos non fuisse om-  
 nes sanctos Patriarchas & Prophetas, Reges &  
 Sacerdotes, in veteri testamento, dicentes no-  
 bis: *Si eos Christianos dicendo, eos esse affirmare*  
*vultis, multum est absurdum ut Christiani essent*  
*prius quam Christus.* Ecce quibus verbis negatis  
 sanctos veteris testamenti Christianos fuisse.  
 Sed multò peius negatis illo tempore non esse  
 Christum. Credite, venerabilis magister, quia  
 si dixissetis, *Non dicebantur Christiani,* parva  
 forsitan esset blasphemia. Cùm autem dicitis,  
*Non erant Christiani,* injustè tantam multitu-  
 dinem sanctorum blasphematis. Simili etiam  
 modo si de Domino Iesu Christo diceretis,  
*Necdum ab omnibus fidelibus manifestè vocaba-*  
*tur Christus,* tolerabile esset. At cùm dicitis,  
*Non erat Christus,* tam grandis blasphemiae est,  
 ut non multum distet ab illa Pauli Samosatani  
 prædicatione,

XVII. Deinde subjungitis, quasi exhortantes nos, ac dicentes: *Sed quomodo nondum erat Christus?* Legitis librum supradicti beati Patris Augustini capitulo VI. & ponitis ipsum capitulum, multò alium sensum continentem quàm vos sentitis. In illo enim capitulo scriptum est: *Cùm ergo Christi nomen ex eo illi sit quod scriptum est, Vixit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Unde ad id quod homo factus est, pertinet, id est, quòd formam servi accipiens, habitu est inventus ut homo, qui utique habitus cœpit ex tempore: de ipso tamen eodémque Christo dictum est, cùm in forma Dei esset. Et post pauca: Nondum ergo erat Christus quod esse cœpit, cùm semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens.* Ecce verba beati Augustini, de quibus vos vultis affirmare Deum Verbum Christi nomen priùs non habuisse quàm caro factum est, cùm è contrario Augustinus in prædicta sententia dicat: *De ipso tamen eodémque Christo dictum est, Cùm in forma Dei esset.* Ecce habes Christum in forma Dei esse, deinde formam servi accepisse: quam utique antè quàm acciperet, nondum erat filius hominis, sed filius Dei, tamen Christus. Iterum Augustinus dicit: *Nondum ergo erat Christus quod cœpit esse, cùm semetipsum exinanivit.* Ecce & hîc Christus dicitur, qui nondum erat hoc quod esse cœpit, cùm semetipsum exinanivit, id est, homo. Nam quid aliud esse cœpit, nisi homo, cùm formam servi accepit? Certè Augustinus non ait, *Non erat Christus qui esse cœpit; sed, Non erat quod esse cœpit.*

XVIII. Nam si Christus ante Mariam non

Hebr. 1.

Philipp. 2.

erat  
heri  
erat  
stiar  
estot  
cimi  
in ca  
Chr.  
pites  
tes,  
gent  
pro  
dice  
tione  
sine  
Chr  
Apo  
lium  
pulo  
dita  
Ag  
enim  
stum  
veru  
Bibe  
tra a  
Neq  
tenta  
nove  
etian  
stolu  
omni  
glori  
passi

erat, quid est quod Apostolus ait, *Christus Iesus* Hebr. 13.  
*heri & hodie ipse, & in secula?* Si Christus non  
erat, & sancti veteris testamenti non erant Chri-  
stiani, quare iterum Apostolus dicit: *Memores* Ephes. 2.  
*estote quod aliquando vos gentes in carne, qui di-*  
*cimini preputium, ab ea qua dicitur circumcisio*  
*in carne, manu facta; quia eratis illo tempore sine*  
*Christo, alienati a conversatione Israël, & hos-*  
*pites testamentorum promissionis spem non habentes,*  
*& sine Deo in mundo.* Ecce Apostolus docet  
gentes sine Christo fuisse illo tempore, quando  
promissionis spem habebat Israël. Et quid est  
dicere, *Eratis sine Christo, alienati a conversa-*  
*tione Israël,* nisi oblique demonstrare non fuisse  
sine Christo Israël tempore promissionis? Si  
Christus non erat, neque Christiani; cur idem  
Apostolus de Moyse dicit: *Negavit se esse fi-* Hebr. 11.  
*lium filie Pharaonis, magis eligens affligi cum po-*  
*pulo Dei, quam temporalis peccati habere jocun-*  
*ditatem; majores divitias estimans thesauro*  
*Aegyptiorum, improprium Christi. Aspiciebat*  
*enim in remunerationem.* Si sub lege positi Chri-  
stum & boni non coluerunt, & mali non tenta-  
verunt; cur iterum dicit de colentibus eum:  
*Bibebant de spiritali, consequenti eos petra. Pe-* 1. Cor. nth. 10.  
*tra autem erat Christus.* De tentantibus verò:  
*Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum* Ibid.  
*tentaverunt, & a serpentibus perierunt.* Nam ut  
noveritis sub lege non solum Christianos, sed  
etiam filios Christi fuisse, audite iterum Apo-  
stolum: *Decebat enim, inquit, eum propter quem* Hebr. 2.  
*omnia, & per quem omnia, qui multos filios in*  
*gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per*  
*passiones consummari.* Anna mater Samuelis

1. Reg. 2. orans in templo dicit: *Dominus iudicabit fines terra, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* Et hoc & in illo tempore quo necdum erat Rex in Israël, & antè quàm ungeretur vel etiam nasceretur Saul, quem dignum elegistis ad negandos Christianos. De David scriptum est: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius Psalmista Israël.*
- Psal. 17. Ipse David ait: *Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo.* Eman quoque ait: *Tu verò repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum.* Abacuc dicit: *Egressus es in salute populi tui, in salute cum Christo tuo.* Hieremias deplorat dicens: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

XIX. Deinde subjungitis, dicentes: *Non ergo omni christumate unctus, Christianus dicitur est. Potius enim illi Christi quàm Christiani dicebantur, ut illud in Psalmis: Nolite tangere Christos meos.* In his verbis vestris negatis unctos, id est, Reges & Pontifices, fuisse Christianos; & ponitis testimonium Psalmi, quod non de Pontificibus, aut Regibus, sed tantùm de Patriarchis, Abraham scilicet, Isaac, & Iacob, Scriptura dicit: *Ipsi enim transferunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum,* id est, de Chaldæa in Mesopotamiam, deinde in terram Chanaan, & Ægyptum, ac rursus in Gerare. Pro ipsis correpti sunt Reges, Abimelech scilicet, Pharaon, Hemor, & Sichem, & alij. Super ipsis præcepit Dominus, *Nolite tangere Christos meos* dicens non tam verbis, quàm certitudine defensionis. Ecce habetis Christos dictos Patriarchas, quos nulla omnino corpo-

rali unctione probare poteritis fuisse unctos. Unde ergo Christi, si non uncti? Quia dicitis, Ergo illi erant ab unctione multi Christi, cum nunquam legatis vel plures simul fuisse Reges, nec duos simul Pontifices illo tempore. Nam quod Reges & Pontifices ungebantur, non aliter, nisi uno decedente, unus succedens ungebatur in figura unius veri Christi. & hi quidem dicebantur Christi.

XX. Sed nos de Patriarchis interrogamus, quomodo eos creditis sine visibili chrismate, absque aqua baptismatis, sed unctos invisibili tantum & spiritali chrismate? Similiter in veteri testamento, non solum omnes sanctos Patriarchas, sed & multos etiam in gentilitate positos credimus invisibili chrismate unctos; per quam unctionem membra Christi & unum corpus cum omnibus ad æternam vitam prædestinatis fierent. Unde & Apostolus, cum enumerasset omnia dona gratiarum, quæ per Spiritum sanctum tam veteris testamenti fidelibus quam novi distributa sunt, subjunxit: *Sicut* 1. Cor. 12. *enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Hoc spiritu uncti sunt Patriarchæ, hoc multi martyres, qui sine baptismate corporali ad vitam æternam transferunt. Qui omnes quomodo unum corpus baptizati sunt, Patriarchæ scilicet & Martyres, cum ceteris fidelibus veteris & novi testamenti, & in uno spiritu, audi iterum eundem*

1. Cor. 10. Apostolum dicentem: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Quem potum? Illum quem in superiori sententia præmisit, uno spiritu potati sumus. & quam escam spiritalem, nisi participationem corporis Christi? Denique Apostolus dicit: Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo Abraham semen estis. Et vos dicitis, quia Abraham non fuit Christianus, cum nos Christiani esse non possimus, nisi efficiamur semen Abraham? Apostolus dicit: *Abraham dicta sunt promissiones, & semini ejus, qui est Christus.* Et vos dicitis Abraham fuisse sine Christo. Apostolus ait: *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham.* Et iterum: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut in Gentibus benedictio Abraham fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Et vos dicitis tam diversa benedictione Abraham & nos benedictos, etiam diverso spiritu unctos, ut ille Christus potuerit esse, non Christianus, nosque Christiani possimus esse, non Christus.*
- Ephes. 1. XXI. Apostolus dicit quia Deus Pater omnipotens omnia subiecit sub pedibus filij sui Domini Iesu Christi, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Et iterum: *Ipsa est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceria solvens*

inimicitiam in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem, & reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem his qui propè; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Ergo jam non estis hospites & advena, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. Et quare hanc Ecclesiam, hoc corpus, quod est plenitudo capit, hoc unum, quod ex utraque fecit, hos conditos in semetipso, hos ambos reconciliatos in uno corpore Deo per crucem, hanc ædificationem constructam, hoc templum sanctum in Domino, hoc habitaculum Dei in Spiritu, vultis ita dividere, ut aliud illi fuerint, aliud nos simus? Quid ergo profuit quòd per caput habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem, si nullam communionem habet radix olivæ cum oleastro sibi inserto? Tribus Ruben, & tribus Gad, ac dimidia tribus Manasse, propterea construxerunt altare ultra Iordanem, quia jam timebant vos, ne diceretis illis, cum Iordanem transissent: Non pertinetis ad nos, non estis Christiani, sine Christo estis; quia necdum erat Christus. Nihil omnino differt aliud inter illos & nos, nisi quia sacramenta salutis quæ per mediatorem operata sunt propter nos & propter il-

Iosue 22.

los, nos salvant præterita, illos futura; quia quæ nos credimus & tenemus præterita, illi crediderunt ac tenuerunt futura; & illi in sola conscientia & figuris futurorum, nos etiam in publica professione, votis & annuntiatione præteritarum rerum cum significatione tractabilium sacramentorum; sicut & illi duo qui unum botrum in falango portabant, unum opus faciebant indifferenter, nisi quia eundem botrum, unus post dorsum, alter ante faciem habebant; sicut & illi qui præcedentes, & sequentes, Domino intranti Hierusalem clamabant Osanna.

*Ioan. 11.*

*Isa. 62.  
Apoc. 2. & 3.*

XXII. Si quis autem ad hæc objiciendum putaverit illud, quòd in Esaïa, vel in Apocalypsi, nomen novum dicitur, quod proculdubio Christianum intelligitur; sciat sanctos Doctores ita intellexisse, ut novum dicatur, propterea quia nuper dispersum, non quia nuper inventum; ac per hoc non novella vel nuper exorta est Christianorum religio, sed ab ipsa mundi origine descendens, eodem Christo Doctore & institutore. Nam inde ab initio speciem formamque suspiciens. Porro de unitate fidelium veteris ac novi testamenti beatus Hieronymus dicit: *Quo modo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur; ita omnes etiam hi qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur. atque ita fit ut & nos legi servierimus in patribus, & illi gratia salventur in filiis.* Iste intellectus Ecclesiæ Catholicæ convenit, quæ veteris & novi testamenti unam asserit providentiam, nec distinguit in tempore quos conditione sociavit. Omnes ædificati sumus super fundamentum Apo-

*Ephes. 2.*

stole  
gula  
fecit  
pans  
ne c  
evan  
Ver  
sensi  
Prop  
jam  
Don  
dor  
ginis  
homo  
quar  
eset  
Scrip  
mini  
tant  
iosc  
chas  
rede  
cati  
Chri  
divit  
prop  
nera

stolorum & Prophetarum, continente nos angulari lapide Iesu Christo Domino nostro, qui fecit utraque unum, & medium parietem dissipans, inimicitiam utriusque populi in sua carne destruxit, & antiquæ legis difficultatem evangelicorum dogmatum integritate mutavit. Verè in Christo unus panis sumus, & duo consensimus super terram; & quomodo nos super Prophetas fundati sumus, ita & Patriarchæ jam Apostolorum fundamine constiterunt. De Domino quoque Iesu Christo prædictus Doctor ait: *Postquam ob nostram salutem de Virginis utero dignatus est nasci, Dei & hominum homo Christus Iesus sequester est dictus.* Antequam verò humanum corpus assumeret, & esset apud Patrem & omnes sanctos quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumpserat, mediator tantummodo nuncupatur. Ipse quippe precioso sanguine suo & nos & illos, Patriarchas scilicet & Prophetas, de maledicto legis redemit. Omnes enim ex fide Christi iustificati sunt. Siquidem Abraham vidit diem Christi, & lætatus est; & Moyses majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum, improprium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.

Ioan. 8.

Hebr. 11.



*EPISTOLA AD PROCERES  
Palatij contra Præceptum impium de  
baptismo Iudaicorum mancipiorum.*

**D**OMINIS & sanctissimis, beatissimis, viris illustribus, Hilduino sacri Palatij Antistiti, & Vvalæ Abbati, Agobardus servulus. Noverit mansuetudo vestra prudentissima idcirco me ad utrumque præsumpsisse quæ sequuntur scribere, quoniam absque ambiguo vos novi præcipuos & penè solos in via Dei esse adjutores Christianissimi Imperatoris, & propterea in Palatio esse unum semper, & alterum frequenter, ut in operibus pietatis quæ absque omni errore quærenda, invenienda, tenenda sunt, vos illi prudentissimis vestris suggestionibus sitis exhortatores &, ut dixi, adjutores. Scripsi sinceritati vestræ singulos breves indiculos, significans vobis quandam feminam ex Iudaïsimo ad Christianismum gratia Christi translata, graves persecutiones sustinere propter fidem quam suscepit Christi, quas per ipsius feminae breviculum potestis cognoscere, in qua re tam excellens eleemosyna vobis manet, ut de nulla alia possit esse major. Nunc autem causam hujus persecutionis, quæ & fomes impij erroris esse potest, me vobis significante cognoscere dignamini. Quoddam Præceptum Iudæi circumferunt, quod sibi datum ab Imperatore gloriantur, in quo continetur ut mancipium Iudaicum absque voluntate domini sui

fui nemo baptizet. Quod à nobis omnino non creditur, ut à facie Christianissimi & piissimi Imperatoris tam contraria ecclesiastica regulæ sit egressa sententia. Novit enim optimè Deo amabilis prudentia vestra, quomodo ab initio sanctis Apostolis super hac re ab ipsa Veritate præceptum sit, quibus absque ulla discretionem personarum, absque ulla exceptione conditionum, generaliter dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Et iterum: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creatura. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quod & illi & omnes deinceps ecclesiastici rectores omni fide & constantia observantes, non solùm servos quorumlibet hominum, verùm etiam conjuges & soboles Imperatorum & Consulorum, & prædicando ad fidem convertere, & conversos nullius expectata licentia baptizare minimè dubitarunt. Quod cum in aliorum gestis facile sit recognoscere, præcipuè in apostolicis litteris omni luce clariùs demonstratur. Legimus namque in fine epistolæ ad Philippenses ita: *Salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cesaris domo sunt.* quem impiissimum Neronem fuisse nemo quis dubitet; cujus domesticos & ministros aulae regiae nullus ambigit prædicatione apostolica conversos, nunquam baptismi gratia sanctificari potuisse, si ejus super hac re voluntas aut permissio expectaretur; qui maximo persecutionis terrore, non solùm incredulos, ne ad fidem venirent, deterrebat, sed etiam credentes à fide deicere insistebat. Vnde & ipsos

Matth. 28.

Marc. 16.

Philipp. 4.

duces ac magistros fidei Christianæ, quorum doctrina totum penè orbem contra sua scita videbat Christi fidei subjugatum, novissima furoris sui atrocitate trucidavit. In epistola quoque ad Timotheum, postquam pro omnibus hominibus orari & obsecrationes fieri præcepit

1. Timot. 2.

Apostolus, ad extremum intulit: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et ad Titum, postquam senes, & anus, adolescentulas, juvenes, servos, congruis præceptis instruendos esse monstravit, hoc modo

Tit. 2.

conclufit: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, & cetera.* Si ergo, ut istis exemplis manifestissimè comprobatur, voluntas Dei Salvatoris nostri est omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & per unum mediatorem Dei & hominum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, reconciliari; si hujus gratia reconciliationis & salutis omnibus hominibus indifferenter illuxit; quis tantæ bonitatis Dei injuriam facere præsumat, ponendo legem miserationi ejus, & ad arbitrium impiorum eam implorantibus impertiendam constituendo, quorum pertinacissima perfidia non solum neminem suorum ad fidem Christi permittit accedere, sed etiam credentes publicè & occultè blasphemare & detestari non cessat. Denique & piè considerantibus perspicuum est, quod unus omnipotens Deus, omnium conditor &

moderator justissimus, qui primum hominem de terræ limo formavit, & de costa ejus adiutorium illi similem sibi fecit, quique ex eis omne genus humanum quasi ex uno fonte & una radice propagavit, omnes unius conditionis fecerit. Et licet peccatis exigentibus, justissimo & occultissimo ejus judicio, alij diversis honoribus sublimati, alij servitutis jugo depresi sunt, ita tamen à servis corporale ministerium dominis exhiberi ordinaverit, ut interiorem hominem ad imaginem suam conditum, nulli hominum, nulli angelorum, nulli omnino creaturæ, sed sibi soli voluerit esse subjectum. Vnde & in lege sua, de hac mentis servitute, quæ illi tantum debetur, mandavit: *Dominum Deum tuum timetis, & illi soli servietis.* Et Apostolus eundem interiorem hominem ab omni sexus diversitate, ab omni conditionis & generis distantia liberum esse demonstrans, ita docet: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus.* Cùm ergo hi qui ad baptismum veniunt, per agnitionem creatoris in interiore homine qui ab omni servitutis conditione liber est, renoventur; quæ ratio esse potest, ut id servi absque permisso dominorum suorum consequi prohibeantur, nec servire eis Deo liceat, nisi licentiam ab hominibus impetraverint? Certè in epistola ad Timotheum idem Apostolus sic præcepit: *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbi-*

Deuter. 6.

Matth. 6.

Coloss. 3.

1. Tim. 6.

196 S. AGOBARDI EPISTOLA  
trentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis seruiant, quia fideles sunt, & cetera. In quibus verbis evidenter de omnibus Christianis servis, sed quorum alij fidelibus, alij infidelibus dominis seruebant, loquitur. Et tamen infidelium dominorum servis præcepta constituit: qui tunc utique adhuc infidelitatis vinculo tenerentur obstricti, si in hac re eorum quibus seruebant arbitrium sequerentur. Læsus est Philemon a servo Onesimo, quem Paulus Apostolus in vinculis positus ad Christi fidem convertit, sacri baptismatis fonte abluit; nec super his Philemon conqueritur, sed etiam credentem atque baptizatum quasi viscera Apostoli suscipiat admonetur. Quas nos auctoritates sequi cupientes, & Præceptum, quod quasi ex Imperiali profertur auctoritate, transgredi metuentes, inter duo versamur pericula. Si enim Præceptum illud observamus, neglectis ecclesiasticis regulis, Deum offendimus; si has sequimur, Imperatoris indignationem veremur; maximè cum magister infidelium Iudæorum incessanter nobis comminetur se Missos de Palatio adducturum, qui pro istiusmodi rebus nos iudicent & distringant. Quæ res non solum nobis perturbationem affert; verum etiam eis, qui ad fidem facile converti poterant, quantum ingerat impedimentum, vestræ est prudentiæ æstimare. Vnde, Patres sanctissimi, ac Deo amantissimi, hæc nostra pericula quasi vestra piis animis perpendentes, intercedite apud Christianissimum & clementissimum Imperatorem, ut hujusmo-

di impedimentum de sancta Ecclesia auferatur, & inter multa & maxima quæ piissimè & justissimè in tradito & conservato sibi à Christo disponit imperio, etiam huic rei propter amorem ipsius Christi misericordissima & solita bonitate succurrat; ne animæ, ex quibus grex fidelium augeri poterat, & pro quarum salute in diebus Passionis Dominicæ ab universali Ecclesia Deo publicè supplicatur, obsistente infidelium & Deo adversantium duritia, etiam dicti Præcepti occasione diaboli laqueis remaneant implicata. Certè in sacris canonibus constitutum, ut si qui ex eis ad baptismum venerint, si voluerit Episcopus, vel quilibet fidelium, redimendi eos habeat potestatem. Quod nos libentissimè facere cupimus; hoc tantummodo postulantes, ut eis veniendi ad fidem facultas libera tribuatur. Nec hoc dicimus, quòd eis filios vel servos eorum violenter auferendos esse sentiamus; sed ut venientibus ad fidem, ab infidelibus licentia non negetur.

*Vide lib. de  
Iud. superst.  
cap. 6.*

## EPISTOLA

AD BARTHOLOMÆVM  
Episcopum Narbonensem, De quorundam  
inlusione signorum.

I. REVERENDISSIMO ac dilectissimo  
Domino & fratri Bartholomæo Episcopo,  
Agobardus, Hildigifus, & Florus, in  
Domino Iesu Christo sempiternam salutem. Cognovimus sollicitam esse prudentiam vestram,

quonam modo accipi debeat illud quòd in quodam loco cæperunt fieri quædam percussiones, ita ut caderent quidam, modo epilepticorum, vel eorum quos vulgus dæmoniacos putat, vel nominat. quod & quidam venerandus frater significavit nobis; maximè in quadam Ecclesia, ubi cuiusdam sancti corpus veneratur, nomine Firmini. & nunc per vos comperimus adhuc etiam alio genere fieri, ut videantur & sentiantur in corporibus hominum stigmata exustionis, quasi si sulphur arsisse in locis illis contigisset. nec tamen mori aliquem ex his dictum est nobis, nec quemquam alia antè infirmitate languentem curari. Quæ videntes utriusque sexus & diversæ ætatis homines, offerunt in loco, aut, sicut dicitis, locis. Iam enim & in aliis fieri videntur quædam donaria quæ unusquisque potest, aut in auro & argento, vel pecoribus, aut in quibuscunque speciebus, nullius exhortatione, nulla ratione admoniti, sed inrationabili terrore perterriti. quod nobis multùm stultè fieri videtur; cùm nulla signa sanitatum, nulla spes propitiationis ibidem demonstrantur. propter quod faciliùs adverti poterat qua esset cautela custodiendum. Et certè sicut verissimum est quòd istæ percussiones esse non possunt nisi Deo permittente, ita certissimum nulla alia virtute ministrante, nisi angelo percutiente. Quisnam ita stultus est qui nesciat & visibiliter & invisibiliter omnipotentem Deum flagellare homines ad eruditionem & conversionem; non solum per homines, sed etiam per bestias, & per minutissima & vilissima quæque animantia? nec tantùm per ignitos serpentes, sed & per

ranas & muscas, & sciniphas, & locustas. nec tantum per animantia, sed per & inanimata, sicut per grandinem, per flumina, per pluvias, per siccitates. Novit utique prudentia vestra unde loquamur, auctore sancta Scriptura. Sed & si dixerimus leones, crabrones, brucum, erucam, æruginem, devorationem, id est, maledictionem, (quo uno nomine multa intelligi possunt) eadem auctore erit. Si autem & addiderimus ursos, lupos, fues, & cervos silvestres, licet facile de Scripturis monstrari non possit, exempla tamen non deerunt.

II. Quamvis exustiones istæ, super quibus movemini, non multum distent à vesicis turgentibus, vel, sicut alia editio dicit, feruvris Ægyptiis illatis, & illis percussioneibus quas Philistæis inrogatas Samuelis volumen nominatim demonstrat, & ex talibus prominentibus. In quibus omnibus quæ enumerata utique sunt, quis est qui ignorare permittatur, quomodo agere patientes aut audientes debeant, & videntes, cum unus sit omnium Dominus, qui flagellat & medetur, percutit & sanat, ducit ad inferos, & reducit? De quo beatus Iob confitebatur dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* cum certè eadem Scriptura dicat: *Percussit eum Satan ulcere pessimo.* Sed licet percussor percusserit, percussorem tamen habens in potestate tetigisse dicitur, non solum in corpore, verum etiam in amissione rerum; sicut idem iterum ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* cum Dominus dixerit ipsi diabolo: *Eccè quæ habet universa, in manu tua sunt.* Sed quia hanc

Exod. 9.

1. Reg. 14.

1. Reg. 2.

Iob. 5.

Iob. 2.

percussor potestatem habere nunquam potest, nisi acceperit ab eo in cuius & ipse potestate est; propterea ipsi tribuenda est potestas qui dat & retinet, permittit & cohibet. Talibus exemplis plenæ sunt Scripturæ, sicut & illud quod legitur de Saule, quòd spiritus malus arripuerit eum. In quibus verbis admirabiliter ostendit Scriptura divina & potestatem Domino tribuendam esse, & malitiam diabolo: quam utique non accipit, sed à semetipso habet. quod autem non habet accipit, id est, potestatem.

2. Reg. 21.

III. Sed de his non necesse habemus scribere vobis, quoniam habetis multa sublimium Doctorum sublimiter dicta. Tamen duo videntur nobis genera vobis significanda, quæ nobis & vobis pariter quærenda putamus. Et unum quidem illud est, quòd utrum correptio, an infirmitas, vel potiùs virtus dicenda sit, nescimus. Hoc tantùm in eadem re nos scire putamus, quòd nullius adversariæ potestatis ministerio geratur; sicut est de beato Zacharia sacerdote

Luc. 1.

incedente in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela; qui quoniam incredulus fuit promissionis ei factæ à Gabriele Archangelo, silentio multatus est. Quod & vir desideriorum beatus Daniel fatetur, dicens:

Daniel. 10.

*Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ.* unde se dicit postea languisse per dies plurimos. Et beatus Iacob luctans cum angelo, claudus effectus est.

Genes. 32.

IV. Neque hoc dicimus quasi diabolus in sanctos nullas accepta potestate operetur correptiones, cum Apostolus apertè dicat datum sibi stimulum carnis, angelum Satanae; sed

quia hæ tales excipi possunt à ceteris percussio-  
nibus, etiam ab illa qua Maria soror Moyfi & Numer. 12.  
Aaron & Ozias Rex percussi sunt lepra; illa 2. Paral. 26.  
propter peccatum detractio-  
nis, ille propter su-  
perbiam præsumptionis. Si verò in his, utrum  
solo Dei nutu, an ministerio angelorum bono-  
rum seu malorum, gesta sint, dubitatur; nesci-  
mus utrum ita dubitari possit de Nadab &  
Abiu, de quibus scriptum est quòd egressus ig- Levit. 10.  
nis à Domino, interfecit eos. Cui rei simile vi-  
detur de Oza, qui arcam Domini sustentare 2. Reg. 6.  
præsumens, percussus à Domino legitur, &  
occisus.

V. Sed quia judicia Domini semper iusta,  
frequenter occulta sunt, occultiora adhuc nobis 1. Reg. 6.  
videntur in morte Bethsamitarum: ubi excep-  
tis LXX. viris, qui forsitan aut sacrificare aut  
arcam Domini manibus tractare conati sunt,  
quingenta millia plebis percussi dicuntur à  
Domino, qui nihil horum fecisse credendi  
sunt: qui tamenetsi ministerio angeli percu-  
tientis interfecti sunt, rectè dicuntur à Domino  
percussi, secundùm regulam superius ostensam.

VI. Forsitan simi'iter dubitet aliquis de duo- 4. Reg. 1.  
bus quinquagenariis cum quinquagenis suis ad  
Heliam missis, utrum ministerio angelico sint  
occisi. Propter quod Scriptura dicit ignem des-  
cendisse de cælo, & devorasse eos. Sed atten-  
dat pari modo de beati Iob ovibus dictum: Iob. 1.  
*Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oves puerosque  
consumpsit.* cum nemo dubitet hoc ministerio  
Satanæ factum.

VII. Alterum verò genus est, quo in quos-  
dam homines prævalere videtur diabolus, non

tam ad percutiendum, quàm ad inludendum; de quibus multos audivimus & cognovimus à dæmonibus, lapidibus & fustibus cæfos, & in nullo læsos; aliquos tamen & inlufos & læfos, in quibus nulla alia causâ videtur qua id fiat, nisi aut inanitas fidei, aut delectatio vanitatis, cuius rei exempla facilè de Scripturis proferre non possumus, sed tamen nullus penè hominum est qui talia non audierit, vel viderit; cùm plerique vano terrore aut vana admiratione attoniti, inanescunt sensu & virtute animi. Novit enim diabolus, ut ait beatus Leo, quem mœrore deiciat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Vnde & Apostolus monet: *Cui resistite fortes in fide.* Qui semper nocendi cupidus est, & cùm id se ostendit quod est, & cùm se transfigurat in angelum lucis, & veluti quædam sanitatum signa demonstrat. Cui utique in utroque verè resistendum est; ut nec vanos terrores formidemus, nec vanis miraculis delectemur.

S. Leo Serm.  
7. in Nativ.  
Domini.

1. Pet. 5.

2. Cor. 11.

VIII. Hæc de duobus quibusdam generibus interposuimus; unum, ubi nihil admixtionis habet ministerium diaboli, sicut de beato Zacharia & Daniele ac Iob diximus; alterum, ubi infirmitas fidei, & inanitas rationis, sive exiguitas sensus, in causa est. Libet autem hic adjungere illa magna & horribilia quæ Dominus fieri voluit ad eruditionem fidelium: in quibus docemur etiam diabolum rebellem luminis Deo servire, & ministrum esse divinæ operationis, cùm per illum non solum malis, sed & bonis, flagella & tribulationes admoventur. Quòd enim percussiones impiis & infi-

delibus per malos angelos irrogentur, Psalmista de plagis, quibus Ægyptus percussa est, loquens, aperte declarat, dicens: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos.*

Psalm. 77.

In libro quoque Ecclesiastici legitur: *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua.*

Eccli. 39.

Vnde & in libro Tobia de Sara filia Raguëlis legitur quod tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodeus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam.

Tobia 3.

De Rege autem impio Achaz in libro Paralipomenon Scriptura testatur, dicens: *Ipsè per se Rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dij Regum Syriæ auxiliantur eis; quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi.*

2. Paralip. 28.

cùm è contrario ipsi fuerint ruina ejus, & universo Israëli. Qui sint autem Dij Gentium, ostendit Psalmista, cùm dicit: *Omnes dij gentium demonia.* Apostolus quoque ad Corinthios in epistola prima: *Quæ immolant, inquit, gentes, demoniis immolant, & non Deo.*

Psalm. 95.

1. Cor. 10.

IX. Quòd autem etiam impij & fideles malignis interdum tradantur spiritibus ad percutiendum, historia beati Iob luce clariùs manifestat: ubi & expeditio Satanæ & Dei permissio aperte describitur, & ad extremum, post damnationem rerum, post funera filiorum, cùm os illius & carnem Dei manu tangi expostulasset, & Dominus permetteret, dicens: *Ecce in manu tua est. Veruntamen animam illius serva,* dictum de eo est: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque*

Iob. 2.

ad verticem ejus. Infirmities quoque & languores, quibus pij vel impij multo tempore affliguntur, per malos angelos inrogari Dominus ostendit in Evangelio: qui cum de muliere, quam spiritum infirmitatis habentem ipse sanaverat, Archisynagogo calumnianti responderet, adjecit post aliqua: *Hanc autem filiam*

Luc. 13.

*Abrahe, quam alligavit Satanas, ecce octodecim annis non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbati?* Hinc est quod beatus Petrus in Actibus Apostolorum, cum de mirabilibus Domini loqueretur, ait de eo: *Qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Paulus quoque

Act. 10.

Apostolus Philetum & Hermogenem dicit se tradidisse Satanae, ut discerent non blasphemare. De eo autem qui uxorem patris sui habebat,

1. Tim. 1.

Corinthiis ita loquitur: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi me praesens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Iesu.* Hinc de seipso quod

1. Cor. 5.

jam commemoravimus ait: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizat.*

2. Cor. 12.

X. Terrores etiam tribulationum per daemones fieri in libro Sapientiae legimus: ubi cum narraret Scriptura de percussione Aegypti,

Psalm. 77.

quas per malos angelos immittas Psalmista demonstret, ait inter alia: *Neque enim quae continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & per-*

Sapient. 17.

sonitus descendens perturbabat illos, & per-

*sonæ tristes apparentes, pavorem illis præstabant.*  
 Vnde & Propheta protectionem Dei viro justo  
 promittit, dicens: *Scuto circumdabit te veritas* *Psalms. 91.*  
*ejus. Non timebis à timore nocturno, à sagitta*  
*volante per diem, à negotio perambulante in te-*  
*nebris, ab incurſu & demonio meridiano.* Has  
 itaque adversarias potestates à Deo expectare  
 & desiderare potestatem ferendi & nocendi &  
 Dominus demonstrat in Evangelio, ubi ait dis-  
 cipulis suis: *Hac nocte Satanas expetivit vos, ut* *LUC. 22.*  
*cribraret sicut triticum.* Et Psalmista, cùm dicit:  
*In ipsa, id est, in nocte, pertransibunt omnes* *Psalms. 103.*  
*bestiæ sylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant*  
*& querant à Deo escam sibi.* & multis aliis lo-  
 cis divinæ Scripturæ.

XI. Et cùm, sicut suprâ diximus, non sem-  
 per nec in omnibus diabolus accipiat potesta-  
 tem, semper tamen habet in omnibus & per  
 omnia omnimodam nocendi voluntatem, ma-  
 ximè in illos inhiat, quibus, ut dictum est, præ-  
 valere se posse videt; eò quòd sint exiguæ fidei,  
 & vacui pondere rationis. Et inde est quòd  
 pueros, ac puellas, & hebetes quosque deicere  
 videtur, & maculis exustionis notare. Quod  
 utique fidelis quisque, & ratione præditus,  
 cùm videt, aut audit, cor ad folius Dei timo-  
 rem levat, qui non permittit nos tentari supra *1. Cor. 10.*  
 id quod ferre possumus. Sicut faciendum est  
 etiam, cùm bestiarum dentibus aut undecun-  
 que vel ubicunque flagellamur, vel alios flagel-  
 lari conspicimus.

XII. Quod verò illi, de quibus nobis in-  
 notuistis, ad easdem Ecclesias, in quibus per-  
 cutiuntur, concurrunt, & quicquid possunt, do-

nant ; nos credimus omnino quòd terroribus  
decepti hoc faciant , perduto consilio meliore.  
Meliùs enim facerent, si sua pauperibus & hos-  
pitibus erogarent , & ad presbyteros Ecclesie  
currerent , ungenti oleo , secundùm præcep-  
tum evangelicum & apostolicum , cum jejuniis  
& orationibus ; quibus sociari debet elemosy-  
na. Nam si essent signa sanitatum , quæ Deo  
largiente per merita sanctorum concessa vide-  
rentur , concursus ad eadem loca consequens  
esset ; & si aliquid oblationum ibi daretur more  
ecclesiastico , & secundùm dispositionem pa-  
trum , esset utique fructuosum ipso usu miseri-  
cordiæ. Nunc autem quia cupiditati quorun-  
dam & avaritiæ famulantur , non exinde ho-  
noratur Deus , nec pauperibus succurritur.  
Hanc enim rem si secundùm voluntatem Dei  
agerent , juxta quod per omnes sanctas Scrip-  
turas eam Deus hominibus voluit indicari ; sci-  
rent utique quàm sublimiter & admirabiliter  
hujus rei semitam Dominus demonstrare dig-  
natus sit per Micheam Prophetam dicentem:

*Mich. 6. Numquid offeram Deo holocausta & vitulos  
anniculos? Numquid placari potest Dominus in  
millibus arietum , aut in multis millibus hircorum  
pinguium? Numquid dabo primogenitum meum  
pro scelere meo , fructum ventris mei pro peccato  
animæ meæ? Et cum in his omnibus negetur,  
subinfertur ilico in quibus Dominus placari  
possit , cum dicit : Indicabo tibi , ô homo , quid  
sit bonum , & quid Dominus querat à te. Uti que  
facere iudicium , & diligere misericordiam , &  
sollicitum ambulare cum Deo tuo. Sicut enim re-  
prehensibile est rem pauperum non pauperibus*

distribuere; sic infructuosum, si ea quæ deberent Ecclesiæ debitam reverentiam exhibentibus erogari, cupiditatis æstu anhelantibus vel avarè servanda vel abutenda prodigè conferantur.

AD MATFREDVM  
*Procerem Palatij, Deploratoria  
 de injustitiis.*

**V**IRORVM præstantissimo atque illustrissimo Matfredo Agobardus in Christo Domino vivificatore ac salvatore nostro vitam & salutem æternam. Obsecro præcellentissimam claritatem vestram ut patienter & clementer audire dignetur quæ fidelis suggerit servulus: quia, teste Deo qui scrutatur corda & renes, non alia intentione dico, nisi propter profectum prosperitatis vestræ præsentis pariter & futuræ. Omnipotens, sempiternus, & misericors Deus, apud quem nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia volumina seculorum quæ apud mortales & temporalesvolvuntur, intemporaliter apud eum præsentia permanent, elegit vos ante mundi constitutionem futurum nostris periculosis temporibus Ministrum Imperatoris & Imperij, & præ ceteris honorificavit & ditavit, non solùm exteriùs, verùm etiam interiùs, prudentia videlicet, justitia, fortitudine, & temperantia, quibus secundùm Scripturas nihil utilius est in vita hominis; constituítque vos in latere rerum sum-

208 S. AGOBARDI EPISTOLA  
mam regentis ; quatenus & in dispositione  
æquitatis illi essetis suffragator, & in remunera-  
tione beatitudinis particeps. Nunc igitur  
quid potissimum expedit devotissimæ intencio-  
ni vestræ, nisi ut omni conamine omnique  
mentis adnifu ita in dispositionem rerum saga-  
cissimè vigiletis, ut opprimatur iniquitas, de-  
struatur fraus & dolus, dissipetur pravitas, con-  
teratur crudelitas, erigatur justitia, consoletur  
humilitas, roboretur fides, serenetur Ecclesia.  
Noverit namque prudentia vestra, in istis re-  
gionibus, quibus nos vicini sumus, in tantam  
securitatem venisse impietatem, ut penè nullus  
inveniatur qui justitiam diligat, ab injustitiâ-  
que recedat, nisi cujus divina inspiratio men-  
tem tangit, & deducit voluntatem ; ita ut gra-  
tuitum putetur, ubicunque bonitatis vestigia  
conspiciuntur. Quievit timor Regum & Le-  
gum in multis ; adeo ut plerique in præsentî  
neminem timendum putent, reputantes apud  
semetipsos, & dicentes in cordibus suis : Si que-  
rela de me ad Palatium venerit, causa ad Causi-  
dicos dirigetur. Illic inveniam parentes vel  
amicos plures, per quos indubitanter fiet ut re-  
galem offensionem nullam incurram, quia do-  
num absconditum extinguet iras, & is qui ti-  
mendus est, aliis interpositis non videbit infi-  
pientias nostras. Talibus, vir eximie, occasio-  
nibus totum penè illud miserabili ævo nostro  
viguit quod suo tempore Christianos quidem  
evasisse gloriabatur, apud paganos verò vehe-  
mentiùs effervescebat martyr beatus Cyprianus  
lugubri nimis ac mœrenti voce deflebat : *Inter*  
*leges, inquit, ipsas delinquitur, inter jura*  
*peccatur.*

*Cypr. in epist.  
ad Donat.*

peccatur. innocentia nec illic ubi defenditur reser-  
vatur. Quis inter hæc verò subveniat? Patronus?  
Sed prævaricatur, & decipit. Judex? Sed senten-  
tiam vendit. qui sedet crimina vindicaturus,  
admittit; & ut reus innocens pereat, fit nocens  
judex. Nullus de legibus metus. de quaestore,  
de iudice, pavor nullus: quod potest redimi, non  
timetur admitti. Consensere peccatis jura, & cœ-  
pit licitum esse quod publicum est. Quis illic re-  
rum pudor, quæ esse possit integritas; ubi qui  
damnant improbos desunt, soli tibi qui damnen-  
tur occurrunt? quòdque sine periculo dicere  
nequeo, multi talium putant vos esse murum  
inter se & Imperatorem, per quem defendan-  
tur à correctione. Quin potiùs, præstantissime  
virorum, date operam, ut sitis murus in aug-  
mento felicitatum, qui noxios expugnet, in-  
nocentes tueatur, Deo congruat, ab inimico  
discrepet, supernam remunerationem accumu-  
let. Et licet satis ex verbis præcedentibus animi  
nostri clarescat intentio; ut tamen absque ulla  
dubitatione sciatis me non proprias querelas  
deplorare, cognoscat prudens benignitas ve-  
stra, hæc à me dici non posse adversum Comi-  
tem nostrum Bertmundum. quippe qui bene sa-  
tis habeat ordinatum de justitiis Comitatum  
suum; eò quòd talem virum pro se constitue-  
rit ad hæc peragenda, qui non solùm propter  
amorem & timorem senioris sui id strenuè ge-  
rat, verùm etiam, quod sublimius & laudabi-  
lius est, propter amorem Dei & amorem ipsius  
æquitatis & justitiæ, ita ut videatur nobis in  
his partibus nusquam fieri tam diligenter & at-  
tentè. Sed prorsùs hæc omnia dicimus propter

fidem quam sub Deo, Domino etiam Imperatori debemus, & pro vestra beatitudine æterna, & præsentis vitæ felicitate adipiscenda. Quoniam, ut ipsi non ambigitis, tanta familiaritas, quam apud Dominum Imperatorem obtinere vos Deus fecit, pro magno vobis talento spiritali ab ipso omnipotenti Domino computabitur; & desideramus ut tam strenuè illud impendatis, ut meritò audire mereamini à Domino in

*Matth. 25.* *judicio ejus: Euge serve bone & fidelis, quia*  
*Luc. 19.* *super pauca fuisti fidelis, & cetera. Avertatur*  
*ibid.* *autem à vobis illa dura & inrevocabilis impro-*  
*peratio, quæ in negligentes redundatura est,*  
*Domino dicente: Serve male & piger, sciebam*  
*quia meto ubi non seminavi, & congreco ubi non*  
*sparsi, & cetera. Sed neque nominatim perso-*  
*nas exprimere debeo, quibus emendatione mul-*  
*ta opus est, ne accusator videar, quod non est*  
*officij mei; sed cupio vos ita esse sollicitum, si-*  
*cut studiosissimum Dei ministrum, & consen-*  
*taneum boni Imperatoris adiutorem, qui ab*  
*utroque Domino dignus & fidelis inventus,*  
*meritò utriusque recompensationem percipiat.*

---

EPISTOLA AD CLERICOS  
 & Monachos Lugdunenses, De modo  
 regiminis ecclesiastici.

I. QVIA novi inter aliquos, quosdam rumores & suspiciones diversas, hæc subteradjecta scripsi, per quæ cognoscere dignemini quæ ego in actione ecclesiastici regiminis

tenenda putem; cessetque paucorum murmura-  
tio, cum omnibus mea fuerit intentio patefa-  
cta. Vnus est sponsus, qui habet sponsam; qui  
diligendus est propter se, non propter aliud  
aliquid, cum ipse sit pax, veritas, iustitia, san-  
ctificatio, & redemptio, & omne bonum, &  
sine illo nullum bonum; qui de caelo venit, &  
super omnes est; qui quos eripit de terra, levat  
ad caelum. Amici sponsi sunt, qui se videntes &  
audientes aedificant in amorem & cultum spon-  
si; filij vero sponsi, & qui aedificant, & qui  
aedificantur. Vnus est agnus, qui habet sponsam,  
de qua dicitur Iohanni Apostolo: *Veni, osten-* *Apoc. 21.*  
*dam tibi sponsam, uxorem agni. & ostensa est*  
illi civitas sancta Hierusalem descendens de cae-  
lo a Deo, habens claritatem Dei.

II. De hac sponsa & civitate cantatur in cae-  
lo *Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus* *Apoc. 19.*  
*noster omnipotens. Gaudeamus & exulemus, &*  
*edemus gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni, &*  
*uxor eius preparavit se; & datum est illi, ut coo-*  
*periat se byssino. De hac uxore & civitate dicit*  
Iohannes Evangelista, quod ipsa sit & taberna-  
culum Dei. Ait enim: *Et civitatem sanctam* *Apoc. 21.*  
*Hierusalem vidi novam descendentem de caelo, a*  
*Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.*  
*Et audivi vocem magnam de throno dicentem:*  
*Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habi-*  
*tabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse*  
*Deus erit cum eis eorum Deus; & absterget Deus*  
*omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultra*  
*non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor*  
*erit ultra. De hac civitate & uxore virgine ge-*  
nerat agnus Dei, agnus Deus, agnus omni-  
po-

- tens, agnus omnipotentis, agnos & oves quos commendat beato Petro Apostolo dicens: *Pasce agnos meos.* Et iterum: *Pasce oves meas.* Hic sponsus & agnus omnipotens dicit sponsæ & uxori suæ: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, & sterilis non est in eis.* Et iterum: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capre gemelli, qui pascuntur in liliis.* Hæc uxor & filia est viri sui agni & principis, cui ipse dicit: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis!*

- III. Ipse princeps pater sponsæ suæ, & frater ejus est. Dicit enim ipsi uxori & sorori suæ: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in ungue crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammae tuæ, soror mea sponsa! Nec mirum si uxor soror est, quia & mammae atque ubera ejus turris, & ipsa murus. Sic enim de illa pater & sponsus loquitur: Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est. Si murus est, edificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Et illa respondit: Ego murus, & ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Quid mirum si murus & civitas, cum & vinea habens virum? Vineam enim, inquit, fuit Pacifico in ea, quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. De qua ipse vir & pater statim subjungit, dicens: Vineam meam coram me est. Ipsa vinea virginis quoque est & conjux, de qua in carmine nuptiali canitur ipsi*

Regi & sponso: *Stetit conjux in dextera tua, in* Psal. 44.  
*diademate aureo.* Et ipse sponsus & pater ait ei-  
dem conjugi: *Audi filia & vide.* Et ipse cantor  
huius carminis eidem dicit: *Et, ô filia fortissimi,*  
*in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites*  
*populi.* Hæc juxta Hebraicum. Antiquior autem  
translatio, ut eandem conjugem Reginam & fi-  
liam Regis ostenderet, sic ait ipsi Regi: *Adsti-*  
*tit Regina à dextris tuis.* & post pauca: *Omnis*  
*gloria ejus filia Regis ab intus.* Hæc Regina non  
solum vinea est, sed & hortus, & fons. *Hortus* Cant. 4.  
*conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons*  
*signatus.* Dicitur & mulier, sicut scriptum est:  
*Mulierem fortem quis inveniet?* & post aliqua: *Proverb. 31.*  
*Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum*  
*senatoribus terra.* In ejus persona quibusdam  
fidelibus & Paulus scribit: *Despondi enim vos* 2. Corint. 11.  
*uni viro virginem castam exhibere Christo.* Cui  
ipse Christus Dominus loquitur: *Tota pulchra* Cant. 4.  
*es amica mea, & macula non est in te.* Et illa de  
illo: *Veniat dilectus meus in hortum suum, &* Cant. 5.  
*comedat fructum pomorum suorum.*

IV. Ista sponsa, Regina & uxor & ancilla est,  
Sed hoc non mirum. Mirum tamen & omni mi-  
sericordia plenum, quod vir ejus & dominus,  
etiam domina est illi, sicut Psalmista decantat:  
*Sicut oculi ancille ad manum domine sue, ita* Psal. 132.  
*oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Quæ Luc. 15.  
etiam mulier dicitur habens dragmas decem,  
quæ, perditâ unâ, accendit lucernam, everrit  
domum, quæsit, & invenit. Dicitur & mater;  
sicut ipse per Esaiam loquitur, dicens: *Quomo-* Isa. 66.  
*do si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos.*  
Verè enim & mater & domina est, virtus & sa-

214 S. AGOBARDI EPISTOLA  
pientia, fortitudo & gloria, resurrectio & vita,  
via & veritas, inluminatio & salus, & cetera  
hujusmodi.

V. Illud quoque non minùs mirum, quòd  
ancilla & amica etiam mater Domini sui esse  
*Math. 12.* potest illo modo quo Dominus ait: *Quicumque  
enim fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis  
est, ipse meus frater & soror & mater est.* Quod  
*Galat. 4.* & Apostolus de se ipso ait: *Filioli mei, quos ue-  
rum parturio donec formetur Christus in vobis.*

VI. Hæc multiplicia nomina sponsi & spon-  
sæ, Christi & Ecclesiæ, non de aliquibus gestis  
historicis, (sicut est, cùm Scriptura de Sara,  
Rebecca, Rachel loquitur, in quibus conjun-  
ctio Christi & Ecclesiæ figurata est) nec de eo  
locutionis genere, quo in rebus sensibilibus sig-  
nificativa prænuntiatione ponuntur, (sicut est  
mons Domus Domini, ubi mons Dominum &  
domus Ecclesiam significat) & multa hujusmo-  
di, assumpta sunt; sed de illis locis ubi in illam  
ordinatam narrationem gestorum Scriptura  
exequitur, sed tantùm diversis hujusmodi no-  
minibus Christum & Ecclesiam indicat, & in  
quibus nullus ita insipiens est ut aliud quæren-  
dum existimet, nisi Christum & Ecclesiam.

VII. Miranda verò conditoris benignitas  
ostenditur; cùm tanta unitate corpus capiti ad-  
hæreat, & caput corpori præsideat, sicut Pro-  
pheta decantat: *Induit me vestimentis salutis, &  
indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum  
decoratum corona, & quasi sponsam ornatam mo-  
nilibus suis.* & post aliqua: *Habitabit enim ju-  
venis cum virgine, & habitabunt in te filij tui.*  
*Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit*

*super te Deus tuus.* Et Apostolus apertè ostendit, dicens: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt, ita & Christus.* Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Quia videlicet hanc unitatem spiritus Christi facit.

VIII. Hæc sunt quæ ineffabiliter jucundissimam præstant avocationem piæ & fidei animæ, & talem avocationem, qualis in præsentī vita ex creaturarum contemplatione nulla esse potest, & ut ita dicam confidenter, in omnibus operibus Dei visibilibus & invisibilibus nulla similis inveniri potest. De hac avocatione Dominus præcipit per Prophetam: *Loquimini ad cor Israël, & avocate eam.* De hac etiam vir cum quo est Deus in visione qua erudit eum mater sua, mystico sermone, sic præcipit: *Date scieram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* De hac & Psalmista, cum beatum diceret eum qui non respexit in vanitates & insanias falsas, vel sicut in Hebraïco legitur, ad superbias pompasque mendacij, in quibus sunt avocationes carnalium mentium, subjunxit: *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui.*

IX. Ergo quicumque prædicationis officium & locum regiminis suscepit, & negligit in his summis rebus, quod est summum misericordiæ Dei, avocare animos fidelium, & quærere con-

solationem & avocationem in divitiis, in ornamentis metallicis, in venationibus, aucupationibus, ac piscationibus, &, quod peius est, in comestationibus, & ebrietatibus, & sonis musicis, sicut Dominus per Prophetam detestatur,

*Isa. 5.* dicens: *Ve qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in convivii vestris; & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.* Iste talis non est adjutor Dei, sicut Paulus ait:

*1. Cor. 3.* *Dei enim sumus adiutores. Dei agricultura estis, Dei edificatio estis.* Sed est destructor operis Dei, ac per hoc adjutor Antichristi, & licet in oculis humanis sacerdos esse videatur, in oculis tamen Dei non est: quia veniente Domino ad iudicium, dividetur, & pars eius cum infidelibus ponetur, & de qualibus scriptum est:

*Eccle. 3.* *Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitate, quasi justorum operum.* Nullus ergo ex his dux populi Dei esse debet; ne quærentes regna cœlestia in foveam demergat, ubi ipse iudicio Dei demersus est, sicut Dominus ad beatum Iob demonstrat, dicens: *Si habes brachium sicut Deus.* Et quibusdam interpositis: *Absconde eos,* inquit, id est, superbos & impios, *in pulverem simul, & facies eorum demerge in foveam.*

*Matth. 23.* X. Sunt alij, qui, sicut & isti, non apparent hominibus impij, sed per simulatam justitiam fiunt in oculis hominum sepulchra dealbata, in oculis autem Dei, id est, intus, pleni sunt offibus mortuorum, & omni spurcitia. Ait beatus

Paulus Apostolus: *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* 2. Cor. 2.

Et iterum: *Habentes hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficiamus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis.* 2. Cor. 4. Sicut enim adulter non quærit fructum prolis, sed tantum ut suæ voluntati faciat, & libidinem impleat: ita omnis qui administrationem verbi suscepit, si ex sinceritate salutem audientium & ædificationem Ecclesiæ non quærit, sed causa alterius rei, quæ minor est quam salus auditorum, verbum Dei loquitur, ut suæ nimirum propriæ voluntati obtemperet, adulter est.

XI. Ergo non soli hæretici adulterant verbum Dei, miscendo fallacias suas. Sed & omnes, qui per sacrum ministerium ad honores & divitias temporales pervenire festinant, etiam & illi qui ad honores & divitias sublimari non possunt, & victum aut regumentum cotidianum ex sacro ministerio adipisci cupiunt, (quia non ideo sumptus accipiunt ut prædicent, sed ideo prædicant ut accipiant; nec loquuntur ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo; sed ambulant in astutia, nec abdicant occulta dedecoris, sed amplectuntur) adulteri sunt. Omnis ergo qui præponitur ceteris, siue clericus, siue monachus, si ita videtur benevolus & mansuetus atque affabilis, ut subditorum corda in sui amorem & propriam laudem convertat, adulter est, & regimen animarum suscipere nunquam debet. Qui autem ita prudens, mansuetus, & suavis

est, ut se videntes & audientes ad amorem & laudem sponsi convertat & accendat, amicus est sponsi, castitatem quærit sponsæ, meritòque suscipit regimen animarum. Omnis clericus, aut monachus, cui datus est quantuluscunque sermo sapientiæ, aut sermo scientiæ, & dum loquitur, cupit audientes in proprium amorem & propriam laudem convertere & inflammare, iste seipsum prædicat, non sponsum; & idcirco pellendus est de interiori thalamo, quia adulter est; foris in atrio præsidet, non sponsæ jussu, sed patientiæ permissu: quia sive occasione, sive veritate sponsus annuntietur, gaudendum est. Fidelis enim anima à quocunque audiat laudes sponsi, in amorem sponsi accenditur, non in negligenter laudantis. Nam & diligentem laudatorem amat ut proximum, non ut sponsum; amat in sponso, non pro sponso. Ambulans in via immaculata, hic Domino ministrat, non sibi; & potest præponi ceteris, non ambulans, sed jacens in ignavia. Et qui sic ministrat, sibi ministrat, non Domino, non debet præponi ceteris. Qui custodes observationum ad libitum suum, & non ad utilitatem domesticorum, sibi met dispensat, non Domino, non est fidelis dispensator, & prudens, quem constituat Dominus super familiam suam. *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem sponsi pergere*; & ideo non debent fieri duces aliorum. Labor sapientum sanat eos. Deducuntur enim ab sponso in viam rectam, ut eant in civitatem habitationis; talesque fieri debent duces eorum qui non habent hîc manentem civitatem, sed futuram inquirunt in grege qui ascendit de lavacro. Et fœcundæ

*Ph. lipp. 1.*

*Psal. 100.*

*Matth. 24.*

*Eccle. 10.*

*Hebr. 13.*

sunt amandæ, & steriles tolerandæ; & fani custodiendi, & infirmi sanandi: quia sponsus de cælo venit quod perierat requirere, & quod abjectum erat reducere, & quod confractum alligare, & quod infirmum consolidare, & pingue & forte custodire.

XII. Hæc in subjectis ovibus ita observanda sunt. In prælatis autem & pastoribus alia conditio est. Quoniam sicut beatus est fidelis servus & prudens, quem *constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore*, qui imitatur pastorem pastorum in administratione pascuæ; ita è contrario de pastoribus qui pascunt semetipsos, quod infirmum est non consolidant, & quod ægrotum non sanant, & quod fractum non alligant, & quod abjectum non reducant, quod perierat non requirunt: de quorum ore liberet pastor pastorum oves suas, & eas pascat in pascuis uberrimis, etiam eas quæ in præsentia vita semper pro se tolerant pravum pastorem. Et quidem pia ovis semper querit bonum pastorem. Sed si deest in hac mortalitate, non deest ille qui animam suam posuit pro ovibus suis. Propter quod, ubi emendari non potest, ab ovibus tolerandus est ut mercenarius sedens in cathedra Moyfi. Quoniam iustus sit pius sponsus, verus pastor, ut quæ dicunt tales, faciant oves; quæ autem faciunt, non faciant.

XIII. Hæc in postremo propterea dixi, ne quis me putet perditam existimare fidelem ovem, quæ prudenter tolerat pravum pastorem; illud summoperè commonens, ut omnis pastor non sibi sed Domino nutriat & erudiat atque corripiat in disciplina & timore Domini subdi-

Cant. 6.

Matth. 18.

Ezech. 34.

Matth. 24.

Ioan. 10.

Matth. 23.

Ioan. 21.

tos : sicut & beato Petro summus pastor præcipit dicens : *Pasce agnos meos*, inquit, non tuos; & idcirco mihi, non tibi. hoc est certum indicium quòd me veraciter diligas, si agnos meos sollicitè pascas, propter quod recepturus es iustitiæ coronam. Sic & quidam antiquus pastor curam sollicitudinis mysticis verbis significavit, dicens : *Non est adhuc tempus ut in caulis includantur oves. Date antea potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.* Quod ubi non fit, & venit

Isa. 5.

illud quod Propheta deplorat dicens : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; & nobiles ejus interierunt fame, &*

Thren. 4.

*multitudo ejus siti exaruit.* Et alius : *Parvuli perierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

XIV. Hæc verba non imperita, imperitè tamen ab imperito ordinata, omnibus necessaria sunt, ab illo qui sedet in solio, usque ad eum qui laborat ad molam. Ego non tam illis scribo, quibus nihil debeo nisi caritatem, sed eis qui nobis commissi sunt; ita tamen ut in nomine pastorum & rectorum intelligantur Abbates, & Præpositi, atque Presbyteri: quos & obnixè deprecor, ut toto corde intendant in exhortationem & obsecrationem beati Petri Apostoli, qua dicit : *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda est gloria communicator, pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilis gloria coronam.* FINIT.

1. Petri 5.

A M E N.

*LIBER CONTRA EORVM  
superstitionem qui picturis & imagini-  
bus sanctorum adorationis obsequium  
deferendum putant.*

I. **P** R I M V M præceptum decalogi est di-  
cente Deo : *Ego Dominus Deus tuus, Exod. 20.*  
*qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitu-  
ris. Non habebis deos alienos in conspectu meo.  
Non facies tibi sculptile, nec similitudinem  
omnium qui in cælo sunt desuper, & quæ versan-  
tur in aquis sub terra. Non adorabis ea, & non  
coles.* Ad quæ verba beatus Augustinus brevif-  
simè subjungit, dicens : *In primo præcepto pro-  
hibetur aliqua in figmentis hominum Dei simili-  
tudo; non quia non habet imaginem Deus; sed  
quia nulla ejus imago coli debet, nisi illa quæ &  
hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo.*  
*August. Hom. 2  
super Exod. ad  
cap. 50.*  
Hæc dicens beatus Augustinus, docet nos bre-  
viter qualiter & cetera hujusmodi præcepta in-  
telligere debeamus. Nam cum distinctè dica-  
tur non faciendam similitudinem omnium quæ  
in cælo sunt, aut quæ in terra, vel quæ sub terra,  
non de solis similitudinibus alienorum deorum  
intelligitur dictum, sed & de cælestibus crea-  
turis, aut quæ in honore creatoris humanus  
sensus potuit excogitare. Propter quod & aper-  
te Moyse loquitur ad populum, dicens : *Locu-  
tus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem  
verborum ejus audistis, & formam penitus non  
vidistis. Et post pauca : Custodite igitur sollicitè*  
*Deuter. 4.*

*animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus vobis in Oreb de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel femine, similitudinem omnium iumentorum qua sunt super terram, vel avium sub caelo volantium, atque reptilium qua moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis; ne forte oculis elevatis ad caelum, videam solem & omnia astra caeli, & errore deceptus adores ea & colas. In quibus verbis summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur.*

*August. de  
Civit. Dei l.  
10. cap. 1.*

I I. Ex libro sancti Augustini de civitate Dei x. quibus modis cultus dicatur: Videndum  
 » ac differendum est, quantum Deus donat, im-  
 » mortales ac beati in caelestibus sedibus, domi-  
 » nationibus, principatibus, potestatibus consti-  
 » tuti, quos isti deos, & ex quibus quosdam vel  
 » bonos daemones, vel nobiscum angelos nomi-  
 » nant, quomodo credendi sint velle a nobis reli-  
 » gionem pietatemque servari; hoc est, ut aper-  
 » tius dicam, utrum etiam sibi, an tantum Deo  
 » suo, qui etiam noster est, placeat eis ut sacra fa-  
 » ciamus, & sacrificemus; vel aliqua nostra, seu  
 » nos ipsos, religionis ritibus consecremus. Hic  
 » est enim divinitati, vel, si expressius dicendum  
 » est, deitati debitus cultus; propter quem uno  
 » verbo significandum, quoniam mihi satis ido-  
 » neum non occurrit Latinum, Graeco ubi neces-  
 » se est insinuo quid velim dicere. Latriam quip-

pe nostri, ubicunque sacrarum scripturarum  
positum est, interpretati sunt servitatem. Sed  
ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum  
quam præcipit Apostolus servos dominis suis  
subditos esse debere, alio nomine Græcè nun-  
cupari solet. Latria verò secundum consuetu-  
dinem qua locuti sunt qui nobis divina eloquia  
condiderunt, aut semper aut tam frequenter  
ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ perti-  
net ad colendum Deum. Proinde si tantummo-  
do cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi vi-  
detur. Dicimur enim etiam colere homines,  
quos honorifica vel recordatione vel præsentia  
frequentamus. Nec solùm ea, quibus nos reli-  
giosa humilitate subicimus, sed quædam etiam  
quæ subjecta sunt nobis, perhibentur coli. Nam  
ex hoc verbo & agricolæ & coloni & incolæ vo-  
cantur. Et ipsos deos non ob aliud appellant  
cælicolas, nisi quòd cælum colant; non utique  
venerando, sed inhabitando, tanquam cæli  
quosdam colonos; non sicut appellantur coloni,  
qui conditionem debent genitrici solo propter  
agriculturam sub dominio possessorum, sed, si-  
cut ait quidam Latini eloquij magnus auctor,  
*Urbs antiqua fuit, Tyrj tenuere coloni.* Ab in-  
colendo colonos vocavit, non ab agricultura.  
Hinc & civitates à majoribus civitatibus velut  
populorum examinibus conditæ, coloniæ nun-  
cupantur. Ac per hoc cultum quidem non debe-  
ri nisi Deo, propria quadam notione verbi hu-  
jus omnino verissimum est. Sed quia & aliarum  
rerum dicitur cultus, ideo Latinè uno verbo  
significari cultus Deo debitus non potest. Nam  
& ipsa religio, quamvis distinctiùs non quem-

Virgil. 1.  
Æneid.

„ libet , sed Dei cultum significare videatur ;  
 „ ( unde isto nomine interpretati sunt nostri eam  
 „ quæ Græcè *θρησκεία* dicitur ) tamen quia Latina  
 „ loquendi consuetudine non solum imperito-  
 „ rum , verum etiam doctissimorum & cognatio-  
 „ nibus humanis , atque affinitatibus , & quibus-  
 „ que necessitudinibus dicitur exhibenda religio,  
 „ non eo vocabulo vitatur ambiguum , cum de  
 „ cultu deitatis vertitur quæstio. Ut fidenter di-  
 „ cere valeamus religionem non esse nisi cultum  
 „ Dei : quoniam videtur hoc verbum à signifi-  
 „ canda observantia propinquitatis humanæ inso-  
 „ lenter auferri. Pietas quoque propriè Dei cul-  
 „ tus intelligi solet , quam Græci *εὐσεβείαν* vocant.  
 „ Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi  
 „ dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in  
 „ operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo  
 „ arbitror evenisse , quia hæc fieri præcipuè man-  
 „ dat Deus , eaque sibi vel pro sacrificiis vel præ  
 „ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi con-  
 „ suetudine factum est , ut & Deus ipse dicatur  
 „ pius : quem sanè Græci nullo suo sermonis usu  
 „ *εὐσεβῆν* vocant , quamvis *εὐσεβείαν* pro misericor-  
 „ dia illorum etiam vulgus usurpet. Vnde in qui-  
 „ busdam scripturarum locis , ut distinctio certior  
 „ appareret , non *εὐσεβείαν* , quod ex bono cultu,  
 „ sed *θεοσεβείαν* , quod ex Dei cultu compositum  
 „ resonat , dicere maluerunt. Vtrumlibet autem  
 „ horum nos uno verbo enuntiare non possumus.  
 „ Quæ itaque *λατρεία* Græcè nuncupatur , & La-  
 „ tinè interpretatur servitus , sed ea qua colimus  
 „ Deum : vel quæ *θρησκεία* Græcè , Latinè autem  
 „ religio dicitur , sed ea quæ nobis est erga Deum :  
 „ vel quam illi *θεοσεβείαν* , nos verò non uno verbo  
 „ exprimere ,

exprimere, sed Dei cultum possumus appellare: hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores deos. Quicunque igitur sunt in cœlestibus habitationibus immortales & beati, si nos non amant, nec beatos esse nos volunt, colendi utique non sunt. si autem amant & beatos esse volunt, profecto inde volunt, unde & ipsi sunt. ]

In eodem libro post pauca: Huic nos servitutum, quæ latria Græcè dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes, & singula templum sumus: quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quam in singulis major: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illud sursum est, ejus est altare cor nostrum: ejus unigenitum eum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cœdimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: eum suavissimo adolemus incensu, cùm in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus: Ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus & reddimus: ei beneficiorum ejus solennitatibus festis & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ caritatis. Ad hunc videndum, sicut videri poterit, eique coherentem, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiseramus enim

*ibid. cap. 4.*

» negligentes; hunc ergo religentes, unde & re-  
 » ligio dicta perhibetur, ad eum dilectione ten-  
 » dimus, ut perveniendo quiescamus; ideo bea-  
 » ti, quia illo fine perfecti.]

*August. de  
 Civit. Dei l. 9.  
 cap. 15.*

III. Quòd inter Deum & homines nullus  
 fit alius mediator quærendus, nisi ille qui Deus  
 & homo est, ex lib. IX. sancti Augustini in ope-  
 » re superiùs memorato: Multitudo quæ beata  
 » est, unius Dei participatione fit beata. Cujus  
 » participationis privatione misera multitudo ma-  
 » lorum angelorum, quæ se opponit potiùs ad  
 » impedimentum, quàm interponit ad beatitu-  
 » dinis adiutorium, etiam ipsa multitudine ob-  
 » strepit quodammodo, ne possit ad illud unum  
 » beatificum perveniri, ad quod ut perducere-  
 » mur, non multis, sed uno mediatore opus erat, &  
 » hoc eo ipso cuius participatione simus beati, hoc  
 » est, Verbo Dei, non factò, sed per quod fa-  
 » cta sunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator  
 » est, quia Verbum, (maximè quippe immorta-  
 » le & maximè beatum Verbum longè est à mor-  
 » talibus miseris) sed mediator per quod homo,  
 » eo ipso utique ostendens ad illud non solum  
 » beatum, verùm etiam beatificum bonum non  
 » oportere quæri alios mediatores per quos arbi-  
 » tremur nobis perventionis gradus esse molien-  
 » dos; quia beatus & pacificus Deus, factus par-  
 » ticeps humanitatis nostræ, compendium præ-  
 » buit participandæ divinitatis suæ. Neque enim  
 » nos à mortalitate & miseria liberans, ad ange-  
 » los immortales beatòsque ita perducit, ut eo-  
 » rum participatione etiam nos immortales &  
 » beati simus, sed ad illam trinitatem, cuius &  
 » angeli participatione beati sunt. Ideo quando

in forma servi, ut mediator esset, infra ange-  
 los esse voluit, in forma Dei super angelos man-  
 sit: idem in inferioribus via vitæ, qui in supe-  
 rioribus vita. ]

IV. Ex libro x. ejusdem operis, ubi eviden-  
 tissimè exemplo Domini Iesu Christi docet bea-  
 tus Augustinus nulli creaturæ sacrificandum,  
 ita docens: Qui autem putant hæc visibilia sa-  
 crificia diis aliis congruere, summo verò Deo  
 tanquam invisibili invisibilia & majora majori,  
 meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis  
 & bonæ voluntatis officia, profectò nesciunt  
 hæc ita signa esse illorum, sicut verba sonantia  
 signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque  
 laudantes ad eum dirigimus significantes voces,  
 cui res ipsas in corde quas significamus offeri-  
 mus; ita sacrificantes non alteri visibile sacrifi-  
 cium offerendum esse noverimus quàm illi cu-  
 jus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos  
 ipsi esse debemus. Tunc nobis favent, nobis-  
 que congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro-  
 suis viribus adjuvant angeli quique virtutesque  
 superiores, & ipsa bonitate ac pietate poten-  
 tiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus,  
 non libenter accipiunt; & cùm ad homines ita  
 mittuntur ut eorum præsentia sentiatur, aper-  
 tissimè vetant. Sunt de his exempla in litteris  
 sanctis. Putauerunt quidam deferendum ange-  
 lis honorem, vel adorandò, vel sacrificando,  
 qui debetur Deo; & eorum sunt admonitione  
 prohibiti, jussique sunt hoc ei deferre, cui uni-  
 fas esse noverunt. Imitati sunt angelos sanctos  
 etiam sancti homines Dei. Nam Paulus & Bar-  
 nabas in Lycaonia factò quodam miraculo sa-

*August. de  
 Civit. Dei l.  
 10. c. 19. 20.*

Act. 14.

» nitatis, putati sunt dij, eisque Lycaonij victi-  
 » mas immolare voluerunt. quod à se humili pie-  
 » tate removentes, eis in quem crederent annun-  
 » tiaverunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi su-  
 » perbè sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo de-  
 » beri sciunt. Non enim revera ( ut ait Porphy-  
 » rius, & nonnulli putant ) cadaverinis nidori-  
 » bus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam  
 » verò nidorum magnam habent undique, & si  
 » ampliùs vellent, ipsi sibi poterant exhibere.  
 » Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus, non  
 » cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis ani-  
 » mo delectantur, cui decepto subjectoque do-  
 » minentur, intercludentes iter ad Deum verum,  
 » ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur  
 » cuiquam præter illum. Vnde verus ille mediator,  
 » in quantum formam servi accipiens, mediator  
 » effectus est Dei & hominum homo Christus  
 » Iesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre  
 » sumat, cum quo & unus est Deus, tamen in  
 » forma servi sacrificium maluit esse quàm sume-  
 » re, ne vel hac occasione quisquam existimaret  
 » cuilibet sacrificandum esse creaturæ. ]

August. de  
 Civ. Dei l.  
 10. cap. 4.

V. Item ex libro præfati operis x. quòd nul-  
 » la creatura colens Deum velit pro illo coli cui &  
 » ipsa subdita est : Quæcunque igitur immortalis  
 » potestas quantalibet virtute prædita, si nos di-  
 » ligit sicut seipsam, ei vult esse subditos, ut bea-  
 » ti simus, cui & ipsa subdita beata est. Si ergo  
 » non colit Deum, misera est, quia privatur Deo.  
 » Illi enim potiùs divinæ sententiæ suffragatur,  
 » & dilectionis viribus favet, qua scriptum est:  
 » Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli.  
 » Nam, ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad

religionis obsequium, quo colitur Deus, sacri-  
 ficium certè nullus hominum est qui audeat di-  
 cere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu  
 divino usurpata sunt, quæ honoribus deferun-  
 tur humanis, sive humilitate nimia, sive adula-  
 tione pestifera; ita tamen ut quibus ea deferun-  
 tur, homines haberentur, qui dicuntur colendi  
 & venerandi; si autem multum eis additur, &  
 adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, ni-  
 si ei quem aut scivit Deum, aut putavit, aut  
 finxit? ]

VI. Ex libro sancti Augustini de vera reli-  
 gione, apud quos potissimùm Deus verus qua-  
 rendus sit: Priùs ergo sequendi sunt, inquit,  
 qui unum summum solum verum Deum & so-  
 lum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas  
 non eluxerit, tum demum migrandum est. Si-  
 cut enim in ipsa rerum natura major est au-  
 ctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec  
 in genere humano multitudinis ulla potentia est  
 nisi consentientis; ita in religione qui ad unum  
 vocant, eorum major & fide dignior esse debet  
 auctoritas. ]

VII. Ex homilia XXV. sancti Gregorij Pa-  
 pæ super Evangelia, qualiter etiam apud san-  
 ctos Deus quærendus sit: Quærentes autem nos  
 vigiles inveniunt qui custodiunt civitatem; quia  
 sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt,  
 bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo  
 vel scripto nos doceant. quos cum paululùm  
 pertransimus, invenimus quem diligimus. Quia  
 Redemptor noster, etsi humilitate homo inter  
 homines, divinitate tamen supra homines fuit.  
 Cùm ergo transeuntur vigiles, dilectus inveni-

» tur : quia cùm Prophetas & Apostolos infra ip-  
 » sum esse conspiciamus, illum qui natura Deus est,  
 » supra homines consideramus.

*Cant. 3.* His inde sententia Cantici canticorum (ubi  
 ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur, *Invenerunt  
 me vigiles qui custodiunt civitatem. Num quem  
 dilexit anima mea vidistis? Paululum cùm per-  
 transissem eos, inveni quem diligit anima mea.*)

*Gregor. in  
 Job. l. 18. c. 33.*

ex prædicta homilia breviter adnotatis ; nunc  
 videamus quid idem Pater in libro XVIII. expla-  
 nationis in Iob de eisdem verbis dicat. Ait er-  
 go : *Cùm redemptorem suum Ecclesia quæretet,  
 in ipsis antiquis prædicatoribus spem figere noluit,  
 quæ dicit : Paululum cùm pertransissem eos, in-  
 veni quem diligit anima mea. Illum quippe inve-  
 nire non posset, si istos transire noluisset.* Consona

*August. in  
 Ioan. tract. 1.*

huic intellectui beatus Augustinus in homilia  
 prima Evangelij secundum Iohannem loqui-  
 » tur, dicens : De ipsis montibus est Iohannes, de

*Psal. 120.*

» quibus paulò antè cantavimus, dicentes, *Leva-  
 » vi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium  
 » mihi.* Ergo, fratres carissimi, si vultis intelli-  
 » gere, levate oculos ad istum montem, id est,  
 » erigite vos ad Evangelistam, erigite vos ad ejus  
 » sensum. Sed quia montes isti pacem suscipiunt,  
 » non potest autem esse in pace qui spem ponit in  
 » homine ; nolite sic erigere oculos in montem,  
 » ut putetis in homine spem vestram esse conlo-  
 » candam, & sic dicite : *Levavi oculos meos in  
 » montes, unde veniet auxilium mihi.* ut statim  
 » subjungatis : *Auxilium meum à Domino qui  
 » fecit cælum & terram.* Ergo levemus oculos in  
 » montes, unde veniet auxilium nobis. Et tamen  
 » non ipsi montes sunt in quibus spes nostra po-

nenda est. Accipiunt enim montes quod vobis  
 ministrent. Vnde & montes accipiunt ubi spes  
 ponenda est, cùm oculos nostros levamus ad  
 Scripturas, quia per homines ministratæ sunt  
 Scripturæ. Levavimus oculos nostros ad mon-  
 tes unde auxilium veniet. Sed tamen quia ipsi  
 homines qui scripserunt Scripturas, non de se  
 lucebant; (sed ille erat lumen illorum qui inlu-  
 minat hominem omnem venientem in hunc mun-  
 dum; & mons erat ille Iohannes Baptista, qui  
 dixit, *Non sum ego Christus*, ne quisquam in  
 monte spem ponens, caderet ab illo qui montes  
 inlustrat. Et ipse confessus, ait: *quoniam de ple-  
 nitudine ejus omnes accepimus.*) ita debes dicere:  
*Levavi oculos meos in montes, unde veniet au-  
 xilium mihi.* ne auxilium quod tibi venit, mon-  
 tibus imputes, sed sequaris, & dicas: *Auxilium  
 meum à Domino qui fecit cælum & terram.* Ergo,  
 fratres, ad hoc ista monuerim, ut quando ere-  
 xistis cor ad Scripturas, cùm sonaret Evange-  
 lium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat  
 apud Deum, & Deus erat Verbum, & cetera.*  
 Quæ lecta sunt ut intelligatis vos levasse oculos  
 in montes. Nisi enim ista dicerent, unde omni-  
 no cogitaretis, non inveniretis. Ergo ex monti-  
 bus venit vobis auxilium, ut hæc vel audiretis, si  
 nondum potestis intelligere quod audistis, in-  
 vocate auxilium à *Domino qui fecit cælum &  
 terram*, quia montes sic potuerunt loqui, ut non  
 possint ipsi inluminare, quia & ipsi inluminati  
 sunt audiendo. Inde qui hæc dixit accepit, Iohannes ille,  
 fratres, qui discumbebat super pectus Domini,  
 & de pectore Domini bibebat quod nobis propinaret.  
 Sed propinavit verba.

Ioan. Ii

Psal. 120.

» Intellectum autem inde debes capere, unde &  
 » ipse biberat, qui tibi propinavit. ] Istis etiam  
 » paria hic idem Doctor in prædicti operis homi-  
 » lia duodecima loquitur, cum verba Iohannis  
 » Baptistæ tractaret, quæ ad discipulos suos Io-  
 » hannes respondit, dicens: Non potest homo ac-  
 » cipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cælo.  
 » Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd di-  
 » xerim, Ego non sum Christus. Tanquam dicens,  
 » Quid vos fallitis? vos ipsi mihi quomodo propo-  
 » suistis istam quæstionem? quid mihi dixistis,  
 » Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui te-  
 » stimonium perhibuisti? Nostis ergo quale te-  
 » stimonium illi perhibui modo? Dicturus sum  
 » non esse illum quem dixi esse ego, qui aliquid  
 » accepi de cælo, ut aliquid essem. Inanem me  
 » vultis esse, ut loquar contra veritatem. Non po-  
 » test homo accipere quicquam, nisi datum fue-  
 » rit ei de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhi-  
 » betis quòd dixerim, Ego non sum Christus.  
 » Non es tu Christus? Sed quid si major illo, quia  
 » tu illum baptizasti? Missus sum. Ego præco-  
 » sum, ille iudex est. Et audi testimonium multò  
 » vehementiùs, multò expressiùs. Videte quid  
 » nobiscum agitur. Videte quid amare debeamus.  
 » Videte quia aliquem hominem amare præ-  
 » Christo, adulterium est. Quare hoc dico, at-  
 » tendamus vocem Iohannis. Poterat in illo er-  
 » rari, poterat ipse putari qui non erat, respuit à  
 » se falsum honorem, ut teneat solidam verita-  
 » tem. Videte quid dicat Christum, quid se: *Qui*  
 » *habet sponsam, sponsus est. Casti estote, spon-*  
 » *sum amate. Quid autem tu es? quid nobis di-*  
 » *cis? Qui habet sponsam sponsus est; amicus au-*

Ioan. 3.

Ioan. 3.

*rem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gau-* «  
*det propter vocem sponsi.] Et post pauca: Vide,* «  
 inquit, stantem in solido: *Non sum dignus cor-* « *Marc. 1.*  
*rigiam calciamenti eius soluere. Bene te humi-* «  
 lias, meritò stas, meritò non cadis, meritò au- «  
 dis, & gaudio gaudes propter vocem sponsi. «  
 Sic & Apostolus, amicus sponsi zelat, & ipse «  
 non sibi, sed sponso. Audiat vocem zelantis «  
 zelo Dei. Vos zelo dixit, non meo, non mihi, «  
 sed zelo Dei. Vnde? quomodo? quem zelas, «  
 cui zelas? *Desponsavi enim vos uni viro, virgi-* « *2. Cor. II.*  
*nem castam exhibere Christo. Quid ergo times?* «  
 quare zelas? *Timeo, inquit, ne sicut serpens* «  
*Euam seduxit astutia sua, sic & vestri sensus* «  
*corrumpantur à castitate, quæ est in Christo.* «  
 Omnis Ecclesia, virgo appellata est. Diuersa «  
 esse membra Ecclesiæ, diuersis pollere donis «  
 videtis, atque gaudetis. Alij coniugati, aliæ «  
 conjugatæ. alij viduati, vxores vltra non quæ- «  
 runt; aliæ viduatæ, maritos vltra non quærunt. «  
 alij integritatem ab ineunte atate conseruant; «  
 aliæ virginitatem suam Deo voverunt. Diuersa «  
 sunt munera; sed omnes isti, una virgo est. Vbi «  
 ista virginitas? Non enim in corpore. In corpo- «  
 re paucarum feminarum. Etsi dici virginitas in «  
 viris potest, paucorum sanctitas. Integritas «  
 etiam corporis est in Ecclesia, & honorabilius «  
 membrum est. Alia autem sunt membra in cor- «  
 pore, sed omnia in mente seruant virginitatem. «  
 Quæ est virginitas mentis? Integra fides, so- «  
 lida spes, sincera caritas. Hanc virginitatem «  
 timebat ille qui zelabat sponso à serpente cor- «  
 rumpi. Sicut enim membrum corporis violatur «  
 in quodam loco, sic seductio linguæ violat vir- «  
 ginitatem cordis. ]

August. de  
Civit. Dei l.  
9. cap. 23.

VIII. Ex libro de Civitate Dei IX. sancti Augustini. Quòd licet sancti angeli atque homines nuncupentur dij, nequaquam tamen possint iidem sancti angeli appellari dij deorum, id est, hominum sanctorum. Ex qua consideratione colligitur, quia si angeli sancti non possunt dici dij hominum, multò minùs homines.

» Ait itaque idem Doctor: Veruntamen cum à nobis quæritur, si homines dicti sunt dij, quòd in populo dij sunt, quem per angelos vel per homines alloquitur Deus; quanto magis immortales eo nomine digni sunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire; quid respondebimus, nisi non frustra in Scripturis sanctis expressiùs homines nuncupatos deos, quàm illos immortales & beatos, quibus non æquales futuros in resurrectione promittitur; ne scilicet propter illorum excellentiam aliquem eorum nobis constituere Deum infidelis auderet infirmitas. Quod in homine facile est evitare. Et evidentiùs dici debuerunt homines dij in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent eum esse Deum suum, qui dictus est Deus Deorum.

» Quia etsi appellantur dij immortales illi, & beati, qui in cœlis sunt, non tamen dicti sunt dij deorum, id est, dij hominum in populo Dei constitutorum, quibus dictum est, *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Hinc est quod ait Apostolus: *Etsi sunt qui dicantur dij, sive in cœlo, sive in terra, ( sicuti sunt dij multi, & domini multi ) nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.*

Psal. 8.

Ioan. 10.

1. Cor. 8.

IX. His ita se habentibus, est modus divi-  
 nae, sive evangelicae, vel etiam humanae gloriae;  
 sicut Alchimus Avitus Episcopus Viennensis in  
 dialogo, ubi cum Gundobado Rege loquitur,  
 dicit: Illud tamen quod ab aequalitate caelestis  
 gloriae patrem & filium, perinde ut creaturam  
 angelicam secludentes, quandam mihi invidiam  
 illicitè supernis virtutibus delati honoris ob-  
 tenditis, dicentes, Ergo & angelis atque ar-  
 changelis, & quaecunque in excelsis sunt, glo-  
 riam ferre debemus, licet minimè pertineat ad  
 causam, etiam ad praesens non omnino sic re-  
 nuo, quasi creaturae sublimi atque praestanti  
 gloriam ferre timeamus. Est quippe divina, est  
 angelica, est etiam humanae gloriae modus,  
 quem in multis Scripturarum locis invenimus  
 & sanctorum meritis & apicibus Regum sine  
 vitio adsentationis ascribi. Quae enim inter ho-  
 mines prima gloria, gloria haec est omnibus san-  
 cti eius; & in Evangelio Dominus dicit, quod  
 nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est,  
 sicut lilij flosculus specie naturali. ]

Matth. 6.

X. Audiamus nunc his paria beatum Hie-  
 ronymum praedicantem. Dicit enim in episto-  
 la quam pro schismate Vigilantij ad Riparium  
 Presbyterum transmisit: Nos autem, non dico  
 martyrum reliquias, sed nec solem quidem &  
 lunam, & angelos, & archangelos, non Sera-  
 phim, non Cherubim, & omne nomen quod  
 nominatur in praesenti seculo, & in futuro, co-  
 limus & veneramur, ne serviamus creaturae po-  
 tius quam creatori, qui est benedictus in secula.  
 Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum  
 cujus sunt martyres adoremus. Honoramus ser-

» vos, ut honores servorum redundent ad Domi-

*Matth. 18.* » num, qui ait: *Qui vos suscipit, me suscipit.* ]

XI. Consonat huic beatus Augustinus in li-

*August. de* » bro primo de civitate Dei, ita loquens: Nec  
*Civit. Dei l.* »  
*1. cap. 13.* »

» contemnenda & abjicienda corpora defuncto-

» rum justorum, quibus tanquam organis & va-

» sis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiri-

» tus. Si enim paterna vestis & anulus, ac si quid

» hujusmodi, tantò carius est posteris, quanto

» erga parentes major affectus; nullo modo ipsa

» spernenda sunt corpora, quæ utique multò fa-

» miliariùs atque conjunctiùs quam quælibet in-

» dumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamen-

» tum vel adiutorium quod adhibetur extrinse-

» cus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.

» Vnde & antiquorum justorum funera officiosa

» pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, &

» sepultura provisâ; ipsique cùm viverent, de

» sepeliendis vel etiam transferendis suis corpo-

» ribus, filiis mandauerunt. Ipse quoque Domi-

*Matth. 26.* » nus die tertio resurrecturus, religiosæ mulie-

» ris bonum opus prædicat, prædicandùmque

» commendat, quòd unguentum preciosum su-

» pra membra ejus effuderit, atque hoc ad eum

*Matth. 27.* » sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemo-

*Marc. 15.* » rantur in Evangelio qui corpus ejus de cruce ac-

*Luc. 23.* » ceptum diligenter atq; honorificè tegendum se-

*Joan. 19.* » peliendùmq; curarunt. Veruntamen istæ aucto-

*Matth. 29.* » ritates non hoc admonent, quòd insit ullus ca-

» daveribus sensus; sed ad Dei providentiam, cui

» etiam talia pietatis officia placent, corpora

» quoque mortuorum pertinere significant, pro-

» pter fidem resurrectionis astruendam. ]

Item Augustinus in libro octavo ejusdem

operis : Nec tamen martyribus templa , sacer-  
 dotia , sacra , & sacrificia constituimus : quo-  
 nam non ipsi , sed Deus eorum nobis est Deus.  
 Honoramus sanè memorias eorum tanquam  
 sanctorum hominum Dei , qui vsque ad mor-  
 tem corporum suorum pro veritate certarunt ,  
 ut innotesceret vera religio , falsis fictisque con-  
 victis. Quod etiam si qui artea sentiebant , ti-  
 mendo reprimebant. Quis autem audivit ali-  
 quando fidelium stantem sacerdotem ad altare ,  
 etiam super sanctum corpus martyris ad Dei ho-  
 norem cultumque constructum , dicere in pre-  
 cibus : Offero tibi sacrificium , Petre , vel Pau-  
 le , vel Cypriane ; cum apud eorum memorias  
 offeratur Deo , qui eos & homines & martyres  
 fecit , & sanctis suis angelis cœlesti honore so-  
 ciavit ; ut ea celebritate & Deo vero de illorum  
 victoriis gratias agamus , & nos ad imitationem  
 talium coronarum atque palmarum , eodem in-  
 vocato , in auxilium ex illorum memoriæ reno-  
 vatione adhortemur. Quæcunque igitur adhi-  
 bentur religiosorum obsequia in martyrum lo-  
 lis , ornamenta sunt memoriarum , non sacra  
 vel sacrificia mortuorum tanquam deorum.  
 Quicumque etiam epulas suas eò deferunt ;  
 quod quidem à Christianis melioribus non fit ,  
 & in plerisque terrarum nulla talis est consue-  
 tudo : tamen quicumque id faciunt , quas cum  
 apposuerint orant & auferunt ut vescantur , vel  
 ex eis etiam indigentibus largiantur , sanctifica-  
 ri ibi eas volunt per merita martyrum in nomi-  
 ne domini martyrum. Non autem esse ista sa-  
 crificia martyrum novit , qui novit unum , quod  
 etiam illic offertur sacrificium Christianorum.

August. lib.  
8. cap. 27.

» Nos itaque martyres nostros, nec divinis hono-  
 » ribus, nec humanis criminibus colimus, sicut  
 » colunt pagani deos suos; nec sacrificia illis of-  
 » ferimus, nec eorum probra in eorum sacra con-  
 » vertimus.]

*August. quæst.  
 in Gen. lib. 1.  
 cap. 84.*

Dicit etiam in libro quem de sex dierum ope-  
 re scripsit; quòd statuit lapidem Iacob, quem  
 sibi ad caput posuerat, & constituit eum titu-  
 lum, & perfudit illum oleo, non aliquid ido-  
 latriæ simile fecit. Non enim vel tunc vel post-  
 ea frequentavit lapidem adorando, aut ei sacri-  
 ficando; sed signum fuit in prophetia eviden-  
 tissimè constitutum, quæ pertinent ad unctio-  
 nem. Vnde Christi nomen à chrismate est. Non  
 solùm enim lapidi sacrificandum non est, sed  
 nec ulli corporali incorporalive creaturæ, nec  
 in alicujus honorem præter solius vivi Dei tem-  
 plum construendum. Quod cùm in aliis, tum  
 in disputatione quam cum Maximo Manichæo  
 incomminus habuit, probat B. Augustinus his  
 » verbis: Si Deus Spiritus sanctus non esset tem-  
 » plum, utique nos ipsos non haberet. Scriptum  
 » est quippe in Apostolo: *Nescitis quia templum*  
 » *Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Et  
 » iterum: *Nescitis quia corpora vestra templum*  
 » *in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo.*  
 » Nonne si templum alicui sancto angelo excel-  
 » lentissimo de lignis & lapidibus faceremus, ana-  
 » thematizaremur à veritate Christi, & ab Eccle-  
 » sia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam  
 » servitutem quæ uni tantùm debetur Deo?]

*1. Cor. 6.*

XII. Deus igitur solus est, sicut jam supe-  
 rius multoties ostendimus, in quo spem nostram  
 beatitudinis conlocare debemus, sicut idem

Pater in libro de doctrina Christiana primo  
 his verbis insinuat, dicens: Cujus nos misere-  
 mur, & cui consulimus, ad ejus quidem utili-  
 tatem id facimus, eamque intuemur. Sed ne-  
 scio quomodo etiam nostra fit consequens, cum  
 eam misericordiam quam impendimus egenti  
 sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem  
 merces summa est, ut ipso perfruamur, & om-  
 nes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso  
 perfruamur. Nam si in nobis id facimus, rema-  
 nemus in via, & spem beatitudinis nostræ in  
 homine aut in angelo conlocamus. quod & ho-  
 mo superbus & angelus superbus arrogant sibi,  
 atque in se aliorum spem gaudent constitui.  
 Sanctus autem homo & sanctus angelus etiam  
 fessos nos atque in se quiescere & remanere  
 cupientes reficiunt potiùs, aut eo sumptu quem  
 propter nos, aut illo etiam quem propter se ac-  
 ceperunt, acceperunt tamen, atque ita refe-  
 ctos in illum ire compellunt, quo fruente pa-  
 riter beati simus. Nam & Apostolus exclamat:  
*Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut  
 in nomine Pauli baptizati estis? Et: Neque qui  
 plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui in-  
 crementum dat Deus.* Et angelus hominem se  
 adorantem monet, ut illum potiùs adoret sub  
 quo ei Domino etiam ipse conservus est. Cum  
 autem homine in Deo frueris, Deo potiùs  
 quàm homine frueris. Illo enim frueris quo  
 efficieris beatus; & ad eum te pervenisse læta-  
 beris, in quo spem ponis ut venias. Inde ad  
 Philemonem Paulus: *Ita, frater, inquit, ego  
 te fruor in Domino. Quod si non addidisset, in  
 Domino, & te fruor tantùm dixisset, in eo con-*

cc *August. de*  
 cc *Doct. Christ.*  
 cc *1b. 1. c. 32. 33.*

cc 1. Cor. 1.

cc 1. Cor. 2.

» stituiſſet ſpem beatitudinis ſuæ. ]

*Auguſt. de  
Civ. Dei lib.  
12. cap. 1.*

XIII. Quòd autem ſola rationalis creatu-  
ra poſſit effici beata, & hoc ipſum bonum non  
habeat niſi à Deo, idem Doctòr teſtatur in li-  
bro de civitate Dei xii. ita loquens : Non eſt  
creaturæ rationalis vel intellectualis bonum,  
quo beata ſit, niſi Deus. Itaque quamvis non  
omnis beata poſſit eſſe creatura, ( neque enim  
hoc munus adipiſcuntur aut capiunt feræ, ligna,  
ſaxa, & ſi quid ejuſmodi eſt ) ea tamen quæ po-  
teſt, non ex ſe ipſa poteſt, quia ex nihilo creata  
eſt, ſed ex illo, à quo creata eſt. Hoc enim ade-  
pto beata eſt, quo amiſſo, miſera eſt. Ille verò  
qui non alio ſed ſe ipſo bono beatus eſt, ideo  
miſer non poteſt eſſe, quia non ſe poteſt amit-  
tere. Dicimus itaque immutabile bonum non  
eſſe, niſi unum verum beatum Deum; ea verò  
quæ fecit, bona quidem eſſe quòd ab illo, ve-  
runtamen mutabilia, quòd non de illo, ſed de  
nihilo facta ſunt. Quanquam ergo ſumma non  
ſint quibus eſt Deus majus bonum; magna  
ſunt tamen ea mutabilia bona quæ adhærere  
poſſunt, ut beata ſint, immutabili bono, quod  
uſque adeo bonum eorum eſt, ut ſine illo miſe-  
ra eſſe neceſſe ſit. ]

*Auguſt. de  
vera Relig.  
cap. 53.*

» Ex libro de vera religione : Non ſit ergo nô-  
» bis religio cultus corporum æthereorum atque  
» cæleſtium, ſed ejuſ cujuſ contemplatione bea-  
» ti ſunt. Neque enim & nos videndo angelum  
» beati ſumus, ſed videndo veritatem, qua etiam  
» ipſos diligimus angelos, & eis congratulamur.  
» Nec invidemus quòd eo paratiores & nullis  
» moleſtiis interpedientibus perfruuntur : ſed  
» magis eos diligimus, quoniam & nos tale ali-  
» quid

quid sperare à communi Domino iussi sumus. “  
 Quare honoramus eos caritate, non servitute. “  
 Nec eis templa constituimus. Nolunt enim se “  
 sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni “  
 sumus, templa summi Dei esse noverunt. ] “

Nam & cùm exaudiunt angeli, Deus exaudit  
 tanquam in vero nec manufacto templo suo,  
 sicut in omnibus sanctis suis, ejusque tempora-  
 liter fiunt iussu æterna sine lege conspecta. Nec  
 movere debet, quòd cùm sit invisibilis, sæpe  
 visibiliter patribus apparuisse memoratur. Sicut  
 enim sonus qui auditur, sententia in silentio in-  
 telligentia constituta, non est hoc quod ipsa;  
 ita & species qua visus est Deus in natura invi-  
 sibili constitutus, non erat quod ipse. Verunta-  
 men ipse in eadem specie corporali videtur; si-  
 cut illa sententia ipsa in sono vocis auditur; nec  
 illi ignorabant invisibilem Deum in specie cor-  
 porali, quod ipse non erat, se videre. Nam &  
 loquebatur cum loquente Moyses, & ei tamen  
 dicebat: *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi* Exod. 33.  
*temetipsum scienter, ut videam te.*

XIV. Item Augustinus in libro quinto de August. de  
Trin. l. 5. c. 1.  
 Trinitate dicit: Ea quæ de natura incommuta- “  
 bili & invisibili, summoque vivente, & sibi “  
 sufficiente, dicuntur non esse consuetudine vi- “  
 sibilium, atque mutabilium, & mortalium, vel “  
 egenarum rerum metienda, sed etiam in his, “  
 inquit, etiam quæ nostris corporalibus adjacent “  
 sensibus, vel quod nos ipsi in interiore homine “  
 sumus, scientia comprehendere laboremus, “  
 nec sufficiamus, non tamen impudenter in illa “  
 quæ supra sunt divina & ineffabilia pietas fide- “  
 lis ardescit, non quam suarum virium inflat ar- “

„ rogantia, sed quam gratia ipsius Creatoris &  
 „ Salvatoris inflammat. Nam quo intellectu ho-  
 „ mo Deum capit, qui ipsum intellectum suum,  
 „ quo eum vult capere, nondum capit? Si autem  
 „ hunc jam capit, attendat diligenter nihil eo esse  
 „ in sua natura melius, & videat utrum videat ibi  
 „ ulla lineamenta formarum, nitores colorum,  
 „ spatiosam granditatem, partium distantiam,  
 „ molis distinctionem, aliquas per locorum in-  
 „ tervalla motiones, vel quid ejusmodi. Nihil  
 „ certè istorum invenimus in eo quo in natura  
 „ nostra nihil melius invenimus, id est, in nostro  
 „ intellectu, quo sapientiam capimus, quantum  
 „ capaces sumus. Quod ergo non invenimus in  
 „ meliore nostro, non debemus in illo quærere  
 „ quod longè melius est meliore nostro. Ut sic  
 „ intelligamus Deum si possumus, quantum pos-  
 „ sumus, sine quantitate magnum, sine indigen-  
 „ tia creatorem, sine situ præsentem, sine habi-  
 „ tu omnia continentem, sine loco ubique totum,  
 „ sine tempore sempiternum, sine ulla sui muta-  
 „ tione mutabilia facientem, nihilque patientem.  
 „ Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest  
 „ omnimodo invenire quid sit, piè tamen caver,  
 „ quantum potest, aliquid de illo sentire quod  
 „ non sit. ]

XV. Quantum autem visibilia noceant ad  
 invisibilia capienda, & quantum amor corpo-  
 rearum rerum, etiam bonarum, ad spiritualia  
 contemplanda, ipse Dominus demonstrat, di-  
 cens: *Ego veritatem dico vobis. Expedi vobis  
 ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus  
 non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum  
 ad vos.* In quibus verbis hunc sensum esse sæpe

nominatus Pater Augustinus : Expedi vobis ut hæc forma servi auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis; sed nolo adhuc me carnaliter diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carnaliter esurire non destiteritis, capaces spiritus non eritis. Nam quid est? *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Numquid hîc positus, eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque enim ubi ille erat, iste inde recessit. Quid est ergo? *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* nisi, Non potest capere spiritum, nisi carnaliter desinat diligere Christum? Vnde ille qui jam ceperat spiritum, *Etsi noveramus Christum, inquit, secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Ipsam quippe carnem Christi, non secundum carnem vocavit, qui Verbum carnem factum spiritualiter novit. Hoc nimirum significare voluit magister bonus, dicendo: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet. Si autem abiero, mittem eum ad vos.* Christo autem descendente corporaliter, non solum Spiritus sanctus, sed & Pater, & Filius illis affuit spiritualiter. Ac per hoc, cum ex carnalibus essent spirituales futuri, profectò & Patrem & Filium & Spiritum sanctum capaciùs fuerant habituri.]

XVI. Nemo igitur sapientum ignorat, quòd homo fidelis, ut proficiat ab exterioribus, introrsus trahendus est, non ab interioribus exteriùs projiciendus, ut deficiat. Transire enim debet de carne ad animam, de corpore ad spiritum, de visibilibus ad invisibilia, de mundo ad Deum. Et iste

August. in  
Ioan. tract.  
94. de Cap.  
16.

2. Corint. 5.

dicitur profectus, si ad meliora quis transeat, non ad deteriora. Melius verò esse animum, deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem, novit qui ea quæ paulò superiùs sunt posita sancti Augustini verba legit, & intelligit. Multò autem his deteriora esse quæ humana & carnalis præsumptio fingit, etiam stulti consentiunt. In quo genere istæ quoque inveniuntur, quas sanctas appellant imagines non solùm sacrilegi ex eo quòd divinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes, sanctitatem eis quæ sine anima sunt imaginibus tribuendo; nec hoc solùm, sed sanctificationem quoque, quam per Verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis quæ nunquam loquuta sunt simulachris dementer concedendo. Denique Gedeon, qui, teste angelo, virorum fortissimus extitit, & mortuus dicitur in senectute bona, postulavit, ut narrat Scriptura divina, à fociis de præda in aures aureas, & accepit; fecitque ex eis Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra; fornicatúsque est omnis Israël in eo: & factum est Gedeoni & omni domui ejus in ruinam. Licèt enim ille hoc in honorem Dei fecerit, tamen quia non in loco quem Dominus elegerat, sed in sua illud voluit ponere civitate, quod utique lex vetuerat, non, ut putavit, elevationem consecuta exinde est domus ejus, sed everisionem. Et ut noverimus non diis alienis illud à Gedeone factum, statim sequitur: *Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filij Israël, & fornicati sunt cum Baalim.* Vbi fornicati sunt in Ephod; nec aversi dicuntur, ut subaudiamus à Deo. nec Baalim, vel

*Sud. 6. & 8.*

Astaroth aut aliquod idolum nominatur. Vbi autem cum diis alienis, statim designantur Baalim, quod apud Hebræos pluralis numeri est, quod idola solet significare in Scriptura divina. Sicut etiam cum unum vitulum populus errans fecisset in eremo, dictum est: *Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Egypti.* Exod. 32

XVII. Non solum verò divinum deferre honorem quibus non licet, sed & ambitiosè honorare sanctorum memorias ob captandam gloriam popularem, reprehensibile est. Arguit super his Dominus Phariseos in Evangelio, teste beato Hieronymo, his verbis. *Vae vobis Scribae & Pharisei hypocrite, qui edificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non fuissetis socij eorum in sanguine Prophetarum.* Dicit itaque præfatus Doctor prudentissimo syllogismo, quo arguit eos filios esse homicidarum, dum ipsi opinione bonitatis & gloriæ in populo sepulchra ædificant Prophetarum, quos majores eorum interfecerunt, & dicunt, *Si fuissetis in illo tempore, non fecissetis ea quæ fecerunt patres nostri.* Hoc autem etiam si sermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quòd ambitiosè & magnificè ædificant memorias occisorum, quos à patribus suis esse jugulatos non negant. Math. 23  
Hieron. in Math. c. 23

XVIII. Verùm ne quis putet spernendum testimonium singulorum sanctorum, libet non unius hominis, sed unius Ecclesiæ hoc loco testimonium inferere, ex quo perspicuè pateat quis antiquis fidelibus fuerit in divino honore cultus, vel quis amor erga memorias sanctorum.

*Euseb. lib.  
4. c. 15.*

Denique Ecclesia Dei, quæ Catholicis de passione beati Polycarpi inter cetera de veneratione sanctorum martyrum ita loquitur: Sed ille æmulus totius boni, & adversarius omnium justorum, postquam vidit quod & per martyrij gloriam & pro vitæ egregiæ virtutibus coronatus est, & per mortem præmia immortalitatis indeptus, satis agere cœpit ut reliquias ejus ad sepulturam nostris desiderantibus non cederet. Instigabatur ergo Niceta Herodis pater, frater autem Dalcæ, adire judicem, ut peteret ab eo ne humanum concederet corpus; ne fortè, inquit, relinquentes illum qui crucifixus est, Christiani hunc dolere incipiant; Iudæis maximè ista machinantibus, qui & nostros in tantis oculis observarunt, ne eum flammis adhuc ardentibus raperent, ignorantes miserimi quia neque Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neque alium quemquam colere, quippe qui verum Deum, & qui solus colendus sit, noverimus; martyres verò tanquam discipulos Domini diligamus & veneremur, quasi integrè fidem magistro servantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perseverantia caritatis optamus esse participes. Vbi autem vidit Centurio tam obstinam Iudæorum contentionem, positum in medio ipsum corpus exussit; & ita nos postmodum ambusta ossa, preciosissimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, ac, sicut conveniebat ex more, condidimus. Quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes agimus celebrésque conventus; maxi-

mè quidem in die passionis ejus. Sed cum eorum memorias, qui priùs passi fuerant, celebramus, ideo facimus, ut sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus susci- tentur.]

Hæc de historiæ ecclesiasticæ libro quarto sumpta, ut inter ceteras divinæ legis vel sanctorum patrum auctoritates teneant locum. Cùmque omnium una sententia sit, cultum religionis soli Deo deberi; quid superest fidelibus, nisi ut purgatis ab omni figmentorum prophana servitute animis, totis viribus decertemus, quatinus veraciter illud quod scriptum est, dicere valeamus? *Non enim in errorem induxit nos hominum male artis excogitatio, nec umbra pictura labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. Malorum amatores sunt qui spem in talibus habent, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.* Et iterum: *Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. Cùm sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior est enim ipse his quos colit: quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem nunquam.*

XIX. Dicit forsitan aliquis non se putare imagini quam adorat aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facile respondetur, quia si imago quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores, sicut multis jam supra

testimoniis est ostensum. Illud quoque memoria dignum, quòd, sicut memoratæ historiae undecimus continet liber, destructis apud Alexandriam delubris ac simulachris idolorum, tantus fervor Christianitatis à dæmonibus ad Christum conversos inflammavit, ut unusquisque crucis dominicæ signum in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingeret. O quam sincera religio! Crucis vexillum ubique pingebatur, non aliqua vultus humani similitudo; Deo scilicet hæc mirabiliter, etiam ipsis forsitan nescientibus, disponente. Si enim sanctorum imagines hi qui dæmonum cultum reliquerant venerari juberentur, puto quòd videretur eis non tam idola reliquisse, quàm simulachra mutasse.

*Euseb. lib. 7. c. 13.*

XX. Quòd autem imagines Apostolorum & ipsius Domini ob amorem potiùs & recordationem, quàm ob religionis honorem, aut aliquam venerationem, more gentilium, ab antiquis expressæ vel conservatæ sint, Eusebius Cæsariensis in libro septimo ecclesiasticæ historiae ostendit, inserens hujusmodi narrationem, cum de his quæ apud Cæsaream Philippi gesta

» compererat aliqua perstrinxisset. Ait ergo: Ve-

» rum quia urbis hujus fecimus mentionem, ju-

» stum videtur commemorare etiam illud in ea

» gestum quod historia dignum duximus. Mulie-

» rem quam sanguinis profluvio laborantem à

» Salvatore curatam Evangelia tradiderunt, hu-

» jus urbis civem constat fuisse; domusque ejus

» in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus verò

» domus ipsius basis quædam in loco editiori con-

» locata monstratur, in qua mulieris ipsius veluti

genibus provolutæ palmásque suppliciter ten-  
 dentis imago ære videtur expressa. Adstat verò  
 alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri,  
 stola comptè circumdati, & dextram mulieri  
 porrigentis. Hujus ad pedem statuæ, è basi  
 herba quædam nova specie nascitur; quæ cum  
 exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius  
 ærei indumenti fimbriam solet; quam cum  
 summo vertice crescens herba contigerit, vires  
 inde ad depellendos omnes morbos langorés-  
 que conquirat; ita ut quæcunque illa fuerit in-  
 firmitas corporis, haustu exiguo madefacti sa-  
 lutaris graminis depellatur, nihil omnino vi-  
 rium gerens, si antequam æreæ fimbriæ sum-  
 mitatem crescendo contingerit, decerpatur.  
 Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu for-  
 matam tradebant: quæ permansit ad nostra us-  
 que tempora, sicut oculis nostris ipsi inspexi-  
 mus. Et nihil mirum, si hi qui ex gentibus cre-  
 diderant pro beneficiis quæ à Salvatore fuerant  
 consecuti, hujusmodi velut munus videbantur  
 offerre; cum videamus etiam nunc & Aposto-  
 lorum Petri vel Pauli & ipsius Salvatoris ima-  
 gines designari, tabuláque depingi; sed & an-  
 tiquas ipsorum imagines à quibusdam conser-  
 vatas, nos vidimus. Quod mihi videtur ex gen-  
 tili consuetudine indifferenter observatum,  
 quòd ita soleant honorare quos honore dignos  
 duxerint. Insignia etenim veterum reservari ad  
 posterorum memoriam, illorum honoris, ho-  
 rum verò amoris indicium est. Denique & Iaco-  
 bi cathedra, qui primus in terris Episcopus ab  
 ipso Salvatore & ab Apostolis in Hierosolymis  
 est electus, quémque fratrem Christi volumi-

na designant, usque in hodiernum inibi conser-  
vatur. Ita in ea sedent omnes qui usque ad pra-  
sens tempus sedis illius sacerdotium sortiuntur.]  
Haec tenus Eusebius.

XXI. Beda quoque, Anglorum gentis ho-  
mo, & suo tempore divinis litteris non medio-  
criter imbutus, cum de mari quod in templo  
Domini à Salomone factum est pertractaret,  
intulit post hæc verba: Notandum sanè quia  
sunt qui putant lege Dei prohibitum, ne vel  
hominum vel quorumlibet animalium sive re-  
rum similitudines sculpamus, aut depingamus  
in Ecclesia, vel alio quolibet loco; eo quod in  
*Deut. 5.* Decalogo legis dixerit: *Non facies tibi sculpti-  
le, neque omnem similitudinem quæ est in cælo de-  
super, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ  
sunt in aquis sub terra.* Qui nequaquam hoc pu-  
tarent, si vel Salomonis opus ad memoriam re-  
vocassent, quo & in templo intus palmas fecit  
& Cherubim, cum variis cælaturis, & in co-  
lumnis illius mala granata & retes, in mari  
quoque æneo duodecim boves, & sculptruras  
histriatas, sed & in vasibus laterum, ut in se-  
quentibus legitur, leones cum bobus, palmas,  
axes, & rotas, cum Cherubim & vario pictu-  
rarum genere fecit; vel certè ipsius Moyfi ope-  
ra considerassent, qui jubente Domino, & Che-  
rubim priùs in Propitiatorio, & postea serpen-  
tem fecit æneum in eremo, cujus intuitu popu-  
lus à ferarum serpentium veneno salvaretur. Si  
enim licebat serpentem exaltari æneum in li-  
gno, quem aspicientes filij Israël viverent; cur  
non licet exaltationem Domini Salvatoris in  
cruce, qua mortem vicit, ad memoriam fidei-

bus depingendo reduci; vel ad alia ejus mira-  
 cula & sanationes, quibus de eodem mortis au-  
 ctore mirabiliter triumphavit; cùm horum aspe-  
 ctus multum sæpe compunctionis soleat præsta-  
 re contuentibus, & eis quoque qui litteras igno-  
 rant, quasi vivam dominicæ historiæ pandere  
 lectionem. Nam & pictura Græcè ζωγραφία,  
 id est, viva scriptura vocatur. Si licuit duode-  
 cim boves æneos facere, qui mare superpositum  
 ferentes quatuor mundi plagas, terni respice-  
 rent; quid prohibet duodecim Apostolos pin-  
 gere, quomodo euntes, omnes gentes bapti-  
 zantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus  
 sancti, viva ut ita dixerim præ oculis omnium  
 designari Scriptura? Si contra legem non fuit  
 in eodem mari sculpturas histriatas in gyro de-  
 cem cubitorum fieri; quomodo legi contrarium  
 putabitur, si historias sanctorum ac martyrum  
 Christi sculpamus sive pingamus in tabulis,  
 qui per custodiam divinæ legis ad gloriam me-  
 ruerunt æternæ retributionis attingere. Verùm  
 si diligentius verba legis attendamus, fortè pa-  
 tebit non interdictum imagines rerum aut ani-  
 malium facere, sed hæc idolatriæ gratia face-  
 re omnimodis esse prohibitum. Denique dictu-  
 rus in monte sancto Dominus, *Non facies tibi*  
*sculptile, neque omnem similitudinem*, præmi-  
 sit: *Non habebis deos alienos coram me*. Deinde  
 subjunxit: *Non facies tibi sculptile, neque om-*  
*nem similitudinem quæ est in celo desuper, & quæ*  
*in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub*  
*terra*. Atque ita conclusit: *Non adorabis ea,*  
*neque coles*. Quibus verbis apertè declaratur  
 quòd illæ similitudines fieri prohibentur ab ho-

2. Paral. 4.

» minibus quæ in venerationem deorum alieno-  
 » rum facere solent impij, quæque ad colendum  
 » atque adorandum Gentilitas errabunda reperit.  
 » Ceterùm simpliciter hæc fieri nulla, ut reor, le-  
 » gis divinæ littera vetat. Alioquin & Dominus  
 » tentantibus se Pharisæis de tributo Cæsari red-  
 » dendo, in quo nomen & imaginem Cæsaris ex-  
 » pressam esse dicebant, nequaquam ita respon-  
 » deret: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ*  
 » *sunt Dei Deo.* sed potius eorum corrigeret er-  
 » rorem, dicens: Non licet vobis in percussura  
 » auri vestri imaginem facere Cæsaris, quia talem  
 » sculpturam lex divina prohibet. Esset namque  
 » locus ut ostenso sibi numismate census hoc dice-  
 » ret, si in eo Cæsaris imago, cujus idolatriæ, &  
 » non ad iudicium magis regiæ potentia, esset  
 » formata. ] Hæc de præfati viri libello sumpsisse  
 » sufficiat.

Matth. 22.  
 Marc. 12.  
 Luc. 20.

XXII. Legimus verò in gestis beati Sylve-  
 stri Papæ, Constantinum Imperatorem necdum  
 fonte vitæ renatum, sanctorum Apostolorum  
 Petri & Pauli vultus ostensis à prædicto Papa  
 tabulis, in quibus utriusque Apostoli effigies  
 antiquitus ad memoriam expressa servabatur,  
 sicut visione nocturna sibi ostensi fuerant, cog-  
 novisse, & ilico adorasse. Sed numquid hac au-  
 ctoritate Constantini adorare sancti alicujus  
 imaginem debemus; cum idem Imperator ma-  
 gis hoc ex consuetudine idolatriæ pestifera fe-  
 cerit, quam ex consideratione verissimæ ratio-  
 nis, quam necdum ipse cognoverat? Et ne id  
 presumptivè adstruere videamur, beati Ambro-  
 sij Mediolanensis Episcopi, viri doctrina & san-  
 ctitate præcipui, auctoritatem inserimus: qui

in revelatione quæ ei sanctorum martyrum Gervasij & Protasij fuit ostensa, refert beatum Paulum Apostolum, qui illis duobus tacentibus loquebatur, ex recordatione picturæ ipsius agnovisse; nec tamen usquam scribit, non dicam picturam illius, sed ne præsentem quidem Apostolum, ac secum loquentem, ullatenus adorasse. Quendam quoque Presbyterum beatus Paulinus per epistolam acriter increpat, quoniam poposcerat ut ei suam & uxoris suæ picturam transmitteret, ut hos, quos absentes amabat, præsentem eo modo semper haberet. For-Juliensem etiam Episcopum beatus Papa Gregorius arguisse legitur, ideo quòd imagines Apostolorum de sua basilica eraserat ob superstitionem vulgi eas contra regulam fidei adorantis, ac non potiùs rationabili auctoritate ejusmodi errorem correxit, pictura illæsa ad posterorum memoriam permanente.

*Paulinus  
epist. 8. ad  
Sever.*

XXIII. Beatus verò Augustinus in libro de civitate Dei x. dixit inter cetera: *Legimus serpentis morsus mortiferos, ad pœnam justissimam peccatorum, in ligno exaltato, atque prospecto a neo serpente sanatos, ut & populo subveniretur afflicto, & mors morte destructa, velut crucifixæ mortis similitudine signaretur. quem sanè serpentem, propter facti memoriam reservatum, cum postea populus errans tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude contrivit.* Idem etiam Pater in libro primo de Concordia Evangelistarum, quem contra paganos edidit, disputat de illis qui Dominum Iesum Christum dicebant epistolari sermone librum

*August. de  
Civit. Dei lib.  
10. cap. 2.*

August. lib.  
1. de Concord.  
Evang. c. 10.

scripsisse, & Petro ac Paulo tradidisse, & dicit: *Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisset facile crederetur, tanquam ad illos qui ei familiarius adhaesissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur. Et occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quòd pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius solenniter Roma commendat. & sic omnino errare meruerunt qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsiverunt.* Hæc sanctus Augustinus. Ex quibus manifestè colligitur, quia si serpentem æneum quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tanquam idolum colere cœpit, Ezechias religiosus Rex cum magna pietatis laude contrivit; multò religiosius sanctorum imagines (ipsis quoque sanctis faventibus, qui ob sui honorem cum divinæ religionis contemptu, eas adorari more idolorum indignantissimè ferunt) omni genere conterendæ, & usque ad pulverem sunt eradendæ; præsertim cum non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit.

August. de  
Civ. Dei  
lib. 4. c. 30.

XXIV. Quòd autem Deus castius absque simulachris veneretur, testis est etiam Quintus Lucilius Balbus Gentilis Philosophus; sicut præfatus Doctor in quarto de civitate Dei libro eum disputantem inserit his verbis: Videtisne igitur ut à physicis rebus bene atque utiliter inventis ratio sit tracta ad commentitios & fictos deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, & superstitiones penè aniles.

Et formæ enim nobis deorum, & ætas, & ve-  
 stitus, ornatúsque noti sunt: genera præterea,  
 conjugia, cognationes, omniáque traducta ad  
 similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam &  
 perturbatis animis inducuntur. Accepimus  
 etiam deorum cupiditates, ægritudines, ira-  
 cundias. Nec verò, ut fabulæ ferunt, dij bellis  
 præliísque caruerunt. Nec solùm, ut apud Ho-  
 merum, cùm duos exercitus contrarios alij dij  
 ex alia parte defenderent, sed etiam ut cum Ti-  
 tanis aut cum Gigantibus sua propria bella gef-  
 serunt. Hæc & dicuntur & creduntur stultissi-  
 mæ, & plena sunt vanitatis, summæque leuita-  
 tis. Ecce interim quæ confitentur qui defendunt  
 deos Gentium. Deinde cùm hæc ad superstitionem  
 pertinere dicat, ad religionem verò quam  
 ipse secundùm Stoicos videtur dicere. Non  
 enim Philosophi solùm, inquit, verùm etiam  
 majores nostri superstitionem à religione sepa-  
 raverunt. Nam qui totos dies precabantur, in-  
 quit, & immolabant, ut sui sibi liberi supersti-  
 tes essent, supersticiosi sunt appellati. Quis non  
 intelligat eum conari, dum consuetudinem ci-  
 vitatis timet, religionem laudare majorum,  
 eamque à superstitione sejungere velle, sed  
 quomodo id possit non invenire? Si enim à ma-  
 joribus illi sunt appellati supersticiosi, qui to-  
 tos dies precabantur & immolabant; numquid  
 & illi qui instituerunt quod iste reprehendit,  
 deorum simulacra diversa ætate & veste distin-  
 cta, deorum genera, conjugia, cognationes?  
 Hæc utique cùm tanquam supersticiosa culpan-  
 tur, implicat ista culpa majores talium simula-  
 chrorum institutores atque cultores.] Et post

*Ibid. c. 31*

» pauca : Dicit etiam , inquit , idem auctor accu-  
 » tissimus atque doctissimus , quòd ij soli ei vi-  
 » deantur animadvertisse quid esset Deus , qui  
 » crediderunt eum esse animam motu ac ratione  
 » mundum gubernantem ; ac per hoc etsi nondum  
 » tenebat quod veritas habet , ( Deus enim verus ,  
 » non anima , sed animæ quoque est effector , &  
 » conditor ) tamen si contra præjudicia consuetu-  
 » dinis liber esse posset ; unum Deum colendum  
 » fateretur , atque suaderet , motu ac ratione  
 » mundum gubernantem , ut ea cum illo de hac re  
 » quæstio remaneret , quòd eum diceret esse ani-  
 » mam , non potiùs & animæ creatorem . Dicit  
 » etiam antiquos Romanos plus quàm annos  
 » centum & septuaginta deos sine simulachro co-  
 » luisse . Quod si adhuc remansisset , castiùs dij  
 » observarentur . Cujus sententiæ suæ testem ad-  
 » hiberet inter cetera etiam Gentem Iudæam .  
 » Nec dubitat eum locum ita concludere , ut dicat  
 » qui primi simulachra deorum populis posue-  
 » runt , eos civitatibus suis metum ademisse , &  
 » errorem addidisse ; prudenter existimans deos  
 » facilè posse in simulachrorum stoliditate con-  
 » temni .

XXV. Dicit etiam beatus Augustinus in li-  
 bello de vera religione , ad percipiendam veri-  
 tatem nihil magis impedire , quàm vitam libi-  
 dini deditam , & falsas imaginationes rerum  
 sensibilium , quæ nobis ab hoc sensibili mundo  
 per corpus impressæ varias opiniones errorif-  
 que generant ; nec errorem ullum in religione  
 esse potuisse , si anima pro Deo suo non coleret  
 animam , aut corpus , aut phantasmata sua , quæ  
 nihil sunt aliud , quàm de specie corporis cor-  
 poreo

poreo sensu attracta figmenta. Non ergo creaturæ potiùs quàm creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris. Hæc perfecta religio est. Ait etiam: Cùm enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permessa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravit. ] Item ibi: Animus perversè judicat cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens non oculus factus est. Ille vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritalia. quod fieri non potest. Quare ista perversitas corrigenda est, quia nisi fecerit quod sursum est deorsum, & quod deorsum est sursum, regno cælorum aptus non erit. Non ergo summam quæramus in infimis, nec ipsis infimis inhareamus. Iudicemus ea, ne cum ipsis iudicemur; id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema; ne cùm in novissimis primam quærimus, à primis inter novissima numeremur. ] Item ipse: Non sit nobis religio, cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores; sed illum à nobis coli volunt, quo inluminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Non sit nobis religio, humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio in phantasmatis nostris. Melius est enim qua-

R

“ *August. de*  
“ *vera Relig.*  
“ *c. 25.*

“ *Ibid. c. 33.*  
“ *34.*

“ *Ibid. c. 55.*

» Iecunque verum, quàm omne quicquid pro ar-  
 » bitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam,  
 » quamvis anima vera sit, cùm falsa imaginatur,  
 » colere non debemus. Melior est vera stipula,  
 » quàm lux inani cogitatione pro suspicantis vo-  
 » luntate formata. Et tamen stipulam quam sen-  
 » timus & tangimus, dementis est credere colen-  
 » dam. ] Idem in epistola ad Consentium dicit:  
 » Cogitationis carnalis compositionem vanum-  
 » que figmentum ubi veneratio labefactare inci-  
 » pit, continuò illo intus adjuvante atque inlu-  
 » minante qui cum talibus idolis in corde nostro  
 » habitare non vult, ita ista confringere atque à  
 » fide nostra quodammodo excutere festinemus,  
 » ut ne pulverem quidem ullum talium phantasma-  
 » tum illic remanere patiamur. ]

*August. ep.  
85. ad Con-  
sent.*

XXVI. Quòd veræ temeritatis offensam in-  
 currat, qui aliquid divinum in sacrilegos ritus  
 usurpat, testatur idem Doctor in epistola ad la-

*August. ep.  
119. c. 20.*

» nuarium, ita dicens: Quid de paginis evange-  
 » licis sortes legunt, etsi optandum est ut hæc po-  
 » tiùs faciant, quàm ad dæmonia consulenda  
 » concurrant, tamen etiam ista mihi displicet  
 » consuetudo, ad negotia secularia & ad vitæ hu-  
 » jus vanitatem propter aliam vitam loquentia  
 » oracula divina velle convertere. ] Sic consimile

*Matth. 23.*

» Domini illa tractaret, quæ ita se habent: Di-  
 » latant enim phylacteria sua, & magnificent  
 » fimbrias. Pittaciola, inquit, illa decalogi phy-  
 » lacteria vocabant; quòd quicumque habuisset  
 » ea, quasi ob custodiam & munimentum sui  
 » haberet; non intelligentibus Pharisæis quòd  
 » hæc in corde portanda sint, non in corpore.

aliòquin & armaria & arcæ habent libros, & Dei notitiam non habent. Hoc apud nos superstiosæ mulierculæ in parvulis evangelis, in crucis ligno, & in istiusmodi rebus ( qui habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam ) usque hodie factitant. ]

XV VII. De talibus institutis ( ut beati quoque Leonis Papæ verba ponamus ) etiam illa generatur impietas, ut sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiosè facere putant, ut priusquam ad beati Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo verò & vivo dedicata est, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. quod fieri partim ignorantia vitio, partim paganitatis spiritu, multùm tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam fortè creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab ipsa specie hujus officij; quam cum in nostris invenit quideorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ tanquam probabilem retentabit, quam Christianis & impiis viderit esse communem? Abiciatur ergo à consuetudine fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus, eorum ritibus, qui creaturis serviunt, misceatur. Dicit enim Scriptura divina: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serves.* Et beatus Iob, homo sine querela, ut ait

S. Leo Ser.  
vii. in Na-  
tiv. Domi-  
ni.

Matth. 4.  
Iob. 1.

R ij

„ Dominus , & continens se ab omni re mala :  
 „ *Job. 31.* „ Numquid vidit , inquit , solem , cum fulgeret ,  
 „ & lunam incedentem clare , & latatum est in abs-  
 „ condito cor meum , & osculatus sum manum  
 „ meam , quod est iniquitas maxima , & negatio  
 „ contra Deum altissimum . Quid est autem sol ,  
 „ vel quid est luna , nisi visibilis creaturæ & cor-  
 „ poreæ lucis elementa , quorum unus majoris  
 „ claritatis , aliud minoris est luminis ? Sicut enim  
 „ alia diurna , alia nocturna sunt tempora , ita di-  
 „ versam in luminaribus qualitatem creator insti-  
 „ tuit ; cum tamen priùs quàm hæc fierent , &  
 „ dies sine solis officio , & noctes sine lunæ mini-  
 „ sterio præcessissent . Sed condebantur ista ad fa-  
 „ ciendam hominis utilitatem , ut rationale ani-  
 „ mal , nec in distinctione mensium , nec in re-  
 „ cursu annorum , nec in dinumeratione tempo-  
 „ rum falleretur ; cum per inæqualium horarum  
 „ impares moras , & dissimilium ortuum signa  
 „ manifesta , & annos sol concluderet ; & menses  
 „ luna renovaret . Quarto namque , ut legimus ,  
 „ *Genes. c.* „ die dixit Deus : *Fiant luminaria in firmamento*  
 „ *1.* „ *cœli , & luceant super terram , & dividant inter*  
 „ *diem & noctem , & sint in signa & tempora , &*  
 „ *in dies & in annos , & sint in firmamento cœli , &*  
 „ *luceant super terram .* Expergiscere , ô homo ,  
 „ & dignitatem tuæ agnosce naturæ . Recordamur  
 „ re te factum ad imaginem Dei : quæ etsi in A-  
 „ dam corrupta , in Christo tamen est reformata .  
 „ Vtere quomodo utendum est visibilibus crea-  
 „ turis , sicut uteris terra , mari , cœlo , aëre , fon-  
 „ tibus , atque fluminibus ; & quicquid in eis pul-  
 „ chrum atque mirabile est , refer ad laudem &  
 „ gloriam conditoris . Noli esse deditus ei lumi-

ni, quo volucres & serpentes, quo bestiae  
 & pecudes, quo muscae delectantur, & ver-  
 mes. Lucem corpoream sensu tange corporeo;  
 & toto mentis affectu illud verum lumen am-  
 plectere quod inluminat omnem hominem ve-  
 nientem in hunc mundum, & de quo dicit Pro-  
 pheta: *Accedite ad eum, & inluminamini, &*  
*vultus vestri non erubescunt.* Si enim templum  
 Dei sumus, & spiritus Dei habitat in nobis;  
 plus est quod fidelis quisque in suo habet ani-  
 mo, quam quod miratur in caelo. Non itaque  
 vobis, dilectissimi, hoc aut indicimus, aut sua-  
 demus, ut despiciatis opera Dei, aut contra-  
 rium aliquid fidei vestrae in his quae Deus bonus  
 bona condidit aestimetis; sed ut omni creatura-  
 rum specie & universo mundi hujus ornatu ra-  
 tionabiliter & temperanter utamini. *Quae enim*  
*videntur, sicut ait Apostolus, temporalia sunt;*  
*quae autem non videntur, aeterna sunt.* Vnde quia  
 ad praesentia sumus nati, ad futura autem rena-  
 ti; non temporalibus bonis dediti, sed aeternis  
 sumus intenti. Et ut spem nostram possimus pro-  
 pius intueri, in ipso sacramento natalis Domi-  
 ni cogitemus quid naturae nostrae gratia divina  
 contulerit. Audiamus Apostolum dicentem:  
*Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est*  
*cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit*  
*vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in*  
*gloria.* ]

In quibus beati Papae & orthodoxi Doctoris  
 verbis summopere pensandum est, quia si ope-  
 ra manuum Dei non sunt adoranda & colenda,  
 nec in honorem Dei; quanto magis opera ma-  
 nuum hominum non sunt adoranda & colen-

Genes. 2.

da, nec in honorem eorum quorum similitudines esse dicuntur. Nam si ulla imago esset adoranda vel colenda, creatoris potius esset quam creaturæ. Nempe hominem fecit Deus ad imaginem & similitudinem Dei. Homo autem facere non potest quicquam, in quo sit similitudo hominis in mente ratione. Nam si exprimit utcumque sculpendo vel pingendo aliquam similitudinem corporis aut membrorum; hoc utique exprimit quod minimum est in homine, non quod maximum. Certè si adorandi fuissent homines, vivi magis quam picti, id est, ubi similitudinem habent Dei, non ubi pecorum, vel, quod verius est, lapidum sive lignorum, vita, sensu, & ratione carentium. Dicit de his beatus Augustinus hoc modo in libro de vera religione: Iusti autem homines, & in uno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudantibus. Cùm verò ipsi tanquam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt; quos autem non possunt, non eis congratulantur, & ab illo vitio corrigi volunt. Quibus similes vel etiam mundiores atque sanctiores si sunt boni angeli, & omnia sancta Dei ministeria, quid metuemus ne aliquem illorum offendamus, si non supersticiosi fuerimus, cùm ipsis adjuvantibus ad unum Deum tendentes, & ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus? ] Et quibusdam interpositis: Religet ergo, inquit, nos religio uni omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem & Veritatem, id est, lucem interiorem, & illum, nulla interposita creatura est. ]

August. de  
vera relig.  
c. 5.

XXIX. In libro XXII. de ciuitate Dei: Fa- « August. de  
« civ. Dei lib.  
« 22. c. 19.  
ciunt autem mirabilia martyres, vel potius  
Deus aut cooperantibus aut orantibus eis, ut  
fides illa proficiat, qua eos, non deos nostros  
esse, sed unum Deum nobiscum habere credamus.  
Denique pagani diis suis & templa statuerunt,  
& ædificaverunt aras, & sacerdotes instituerunt,  
& sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus  
nostris non templa sicut diis, sed memorias  
sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum  
vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus  
altaria, in quibus sacrificemus martyribus,  
sed uni Deo & martyrum & nostri sacrificium  
immolamus; ad quod sacrificium, sicut homines  
Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt,  
suo loco & ordine nominantur; non tamen à  
sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe,  
non ipsis, sacrificat, quamvis in memoria  
sacrificet eorum; quia Dei sacerdos est, non  
illorum. Ipsum verò sacrificium, corpus est  
Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc  
sunt & ipsi.] Hætenus beatus Augustinus.

XXX. Hæc est sincera religio, hic mos catholicus,  
hæc antiqua patrum traditio; sicut etiam ex libro  
Sacramentorum, quem Romana tenet Ecclesia,  
facile comprobatur. Hunc venerationis modum  
qui supergreditur, aut relinquit, contemnit  
disciplinam patris sui, dimittitque legem  
matris suæ. Ideo nec gratia capiti eius  
addetur, nec torques collo. Teneatur itaque  
via regia. Hanc docuerunt Apostoli, Ecclesie  
magistri; hanc tenuerunt arietes gregis.  
Dei ovis enim relinquens pastorem, aberrans à  
via qua præcedit aries, hæret in sentibus, de-

Prov. 12.

voratur à lupis. Soli Domino offeramus gloriam & honorem, nec cum simulachris fornicemur, his effecti similes de quibus Deus dicit:

*Ezech. 6.*

*Ego quoque contrivi cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos per res varias fornicantes.*

*2. Petr. 2.*

Et Apostolus Petrus: *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti.* Hierusalem quoque fornicata dicitur cum filiis Chaldæorum,

*Ezech. 23.*

videns illos in pariete depictos. Adoretur, colatur, veneretur à fidelibus Deus; illi soli sacrificetur, vel mysterio corporis & sanguinis, quo sumus redempti; vel in sacrificio cordis contriti & humiliati. Angeli vel homines sancti amentur, honorentur, caritate, non servitute. Non eis corpus Christi offeratur, cum sint hoc & ipsi. Non ponamus spem nostram in homine, sed in Deo; ne fortè redundet in nos illud propheticum: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Quod catholici Doctores Ecclesiæ etiam in illos redundasse confirmant qui Dominum Iesum Christum purum hominem fuisse credebant, non etiam Deum; & idcirco erant confidentes in homine, ac per hoc maledicti.

*Joann. 17.*

XXXI. Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo se circumveniat. Quicumque aliquam picturam, vel fusilem sive ductilem adorat statuat, non exhibet cultum Deo, non honorat angelos, vel homines sanctos, sed simulachra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris sanctorum, rursus idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur; ut aver-

*Epipha.  
hæres. 79.*

rat nos ab spiritualibus, ad carnalia verò demer-  
 gat; ac per omnia simus digni ab Apostolo au-  
 dire: *O insensati, quis vos fascinavit? Et: Sic Gal. 3.*  
*Stulti estis, ut cum spiritu ceperitis, nunc carne*  
*consummemini. Ipse enim Satanas, sicut dicit 2. Cor. 11.*  
 idem Apostolus, *transfigurat se in angelum lu-*  
*cis.* Denique comestationes & ebrietates intro-  
 ducit sub nomine caritatis, superbiam & duri-  
 tiam inflexibilem constantiam imperturbati  
 animi esse simulat; cœcūmque furorem, zeli  
 rectitudinem vocat. Ideo dicit Iohannes Apo-  
 stolus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate 1. Ioan. 3.*  
*spiritus, utrum ex Deo sint.* Aspiciamus pictu-  
 ram quasi picturam, vita, sensu, & ratione ca-  
 rentem. Pascatur hac visione oculus. Deum  
 verò veneretur animus; qui & sanctis suis vi-  
 ctoriae coronam, & nobis intercessionis eo-  
 rum tribuit adiutoria.

XXXII. Habuerunt namque & antiqui  
 sanctorum imagines vel pictas, vel sculptas, si-  
 cut etiam superiùs est ostensum; sed causa histo-  
 riæ, ad recordandum, non ad colendum; ut,  
 verbi gratia, gesta synodalia, ubi pingebantur  
 catholici veritate fulti & victores, hæretici au-  
 tem pravi dogmatis mendaciis detectis convi-  
 cti & expulsi, ob recordationem firmitatis ca-  
 tholicæ fidei, juxta morem bellorum tum exter-  
 norum cum civilium ad memoriam rei gestæ;  
 sicut & in multis locis videmus. Sed nullus an-  
 tiquorum catholicorum unquam eas colendas  
 vel adorandas fore existimavit.

XXXIII. Nunc autem error inualescen-  
 do tam perspicuus factus est, ut idolatriæ vel  
 Anthropomorphitarum hæresi propinquum

aut simile sit adorare figmenta, & spem in eis habere. At quæ huius erroris causa? Fides de corde ablata, tota fiducia in rebus visibilibus conlocata. Sicut autem videntes pictos armatos viros, vel agriculturæ intentos, sive mentes, vel vindemiantes, seu stantes in navibus piscatores, & retia jaculantes, necnon venatores venabulis extensis, cum canibus capreas cervósque persequentes, nec augmentum exercitus, nec adiutorium annui operis, vel aceruos tritici, seu rivulos musti, nec pisces, capreas, & sues ab illis nos accepturos speramus; ita quoque, si viderimus pennatos angelos pictos, prædicantes Apostolos, martyres tormenta patientes, nullum ab imaginibus quas aspiciamus auxilium sperare debemus; quia nec malè possunt facere, nec bene. Rectè nimirum, ob huiusmodi evacuandam superstitionem, ab orthodoxis patribus definitum est picturas in Ecclesia fieri non debere; ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.

*Concl. Elib.  
c. 36.*

XXXIV. Illud verò qua præsumptione fit, ut sine Basilica, sine altari, absque sanctorum reliquiis, super eiusmodi figmenta Missæ celebrentur; cum sancti patres in Concilio Carthaginensi statuerint, ut altaria quæ passim per agros aut vias tanquam memoriæ martyrum construuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis qui hisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent; ut qui rectè sapiunt, nullam sibi superstitione devicti tenean-

*Codex Canon. Eccl.  
Afric. Tit.  
23.*

eur; & omnino nulla memoria martyrum pro-  
 babiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliqua  
 reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis,  
 vel possessionis, vel passionis fidelissima origine  
 traditur. Nam quæ per somnia & inanes quasi  
 revelationes quorumlibet hominum ubicun-  
 que constituuntur altaria, omnimodo impro-  
 bentur. ] Fuerunt illis diebus sufficientia hæc  
 statuta. Necdum enim error emerferat, quo  
 nunc de carbonibus, minióque, vel sinopide  
 figuratæ effigies, sanctæ imagines vocarentur,  
 & adorandæ prædicarentur.

XXXV. Nec iterum ad sua latibula frau-  
 dulenta recurrat astutia, ut dicat se non imagi-  
 nes sanctorum adorare, sed sanctos. Clamat  
 enim Deus: *Gloriam meam alteri non dabo,* Isa. 42.  
*nec laudem meam sculptilibus.* Et Apostolus de  
 Domino nostro mediatore dei & hominum ho-  
 mine Christo Iesu: *Propter quod & Deus exal-* Philipp. 2.  
*tavit illum, & dedit illi nomen, quod est super*  
*omne nomen.* Quale verò hoc nomen sit, con-  
 sequenter exponit: *Ut in nomine Iesu omne ge-*  
*nu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferno-*  
*rum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus*  
*Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hanc po-  
 testatem, laudem, dominationem, hoc nomen  
 quod est super omne nomen, nullus sanctus an-  
 gelus, nullus sanctus homo sibi usurpat. Angelus  
 enim qui usurpavit, vel homo quæ usurpare sua-  
 fit, uterq; corrui. Si autem aliquis homo adora-  
 tur, vel angelus, præter eum qui & Deus & homo  
 & summi esse consilij angelus, Propheta testan-  
 te, perhibetur, non est aliud nomen quod sit vel  
 super hoc nomen quod est super omne nomen,

aut æquale illi. Sed quia nullus Deo æqualis, nullus alius essentialiter Iesus, id est, Salvator, existit, credamus Apostolo, cedamus divinæ auctoritati; flectamus genu in nomine solius Iesu, quod est super omne nomen; ne si alteri hunc honorem tribuimus, alieni iudicemur à Deo, & dimittamur secundùm desideria cordis nostri ire in adinventionibus nostris.

*Philipp. 2.*

Finit de picturis Agobardus Episcopus.

---

*LIBER DE DISPENSATIONE  
ecclesiasticarum rerum.*

I. **S**ignificavit mihi fidelis ac veneranda dilectio tua, quòd clari & honorati viri per Septimaniam & Provinciam consistentes, de me incessanter obtrectando loquantur; quanquam nec ceteris parcant, dicentes movisse nos, ac præcipuè me, inauditam contentionem, atque discordiam, pro ecclesiasticis rebus; idque inter eos, non solùm detrahendo, sed & comminando, & versutiarum insidias machinando, omnibus modis ac sine intermissione agitari. Ais etiam, nullam eos satisfactionem vel excusationem velle recipere: sed si qua illis rationabiliter, satisfaciendi gratia, à quolibet opposita fuerint, sera hæc & nuper adinventa calumniari. Cuius rei quoniam vult fraternitas tua puram cognoscere veritatem, qualiter videlicet motum asseveratùmque fuerit, maximè de me, quantum vel qualiter in tali disputatione interfuerim, audierim, vel suggesterim, scribo hæc tibi veraciter, prout vis

à me. Ac primùm ipse scire potes, me nunquam inter majores nostros & meliores nobis tanti loci vel honoris fuisse, ut aut inceptor discordiæ, aut pacis conciliator esse potuerim. Quippe qui, ut insuetus & timidus, inter tales ac tantos rarò loqui valeam. Tamen, in quantum recordari queo, de quibus inquiris, ut ipse novi, faciam & te similiter nosse.

II. In illis diebus, quando sacer & religiosus Dominus noster Imperator evocato conventu in Attiniaco agebat, strenuè providens de omnibus utilitatibus commissorum sibi populorum, pervenit ad sublimiorem inquisitionem pernecessarij consilij; cupiens scilicet invenire, qualiter congruentissimæ profectum doctrinæ, & abolitionem negligentiarum sacerdotibus & cunctis honoratis suis commendare potuisset. quod utique laudabiliter inspirante Dei gratia quæsit, eleganter invenit, fideliter ore suo adnuntiavit. Quæ cuncta nunc replicare, nimis prolixum est; quia & tunc distinctis capitulis comprehensa sunt, & omnibus nota esse debent.

III. Hanc igitur rem cum miris tunc laudibus adhuc inchoatam magistri nostri efferrent, & præcipuè venerandus senex Adalardus, qui etiam dicebat se nunquam sublimiùs vel gloriosiùs causam profectus publici moveri & cogitari vidisse à tempore Regis Pipini usque ad diem illum; tantùm ne respondentium & obedientium negligentia humiliaretur, addidit ipse & ceteri primores, dicentes omni Concilio: Quicquid utile potuerit reperire sagacitas vestra ad cavenda peccata, ad vitanda pericula,

ad erigendam religionem, ad inlustrandam doctrinam, ad conroborandam fidem, ad excellendum studium sanctitatis, confidenter edicite, & ad explenda parituro Deo Dominum Imperatorem minimè dubitetis. Qui (quoniam, ut Scripturæ sacræ docent, peccata contrahunt infelicitates, perturbationes, clades, & sterilitates in populos) tota sollicitudine curat, ut bona quidem statuendo, mala verò destruendo, obtineat unà vobiscum apud Dominum, ut remotis adversis casibus, regnum sibi commissum prosperè, Deo favente, valeat gubernare.

IV. Hæc & his similia cùm primores nostri jucundissimè loquerentur, ego, ut scilicet humillimus omnium & extremus, cœpi quodammodo pedetentim, utpote magnis viris, ita suggerere. Ecce omnipotens Deus præparavit animos Domini Imperatoris, ut sollicitè velit agnoscere temporis vires, consonas vel dissonas æquitati. Expediit verò, ut ea quæ dissona sunt, si possibilitas suppetit, emendentur; in quantum autem possibilitas non suffragatur, cum timore Dei tolerantur; quatinus dum illicitum quippiam ex necessitate agitur quod declinari non potest, timor saltem faciat excusabilem quem exsecutio non constituit absolutum. Neesse est ergo ut vestra industria magnanimitati ejus suggerat pericula de rebus ecclesiasticis, quas contra vetitum & contra canones tractant & in usus proprios expendunt homines laici. Postquam enim diffusa est Ecclesia Dei toto orbe terrarum, & cœpit exaltari ac magnificari per omnes regiones & nationes, cœperuntque templa erigi à fidelibus Impera-

toribus ac Regibus atque Episcopis, vel ceteris potentibus, ditariſque rebus, & theſauris ornari; fuit etiam conſequens, vt Principum providentia leges promulgarentur, & Episcoporum ſollicitudine canones ſtatuerentur de rebus ſanctificatis, id eſt, ſacris locis deputatis; qualiter tuerentur ab improbis, tuerentur à gubernatoribus, vel expedirentur. Convenerunt Episcopi, viri ſancti, quibus tunc abundabat Eccleſia. Statuerunt inlibatos conſervari debere ſacros canones, qui firmati ſunt ſpiritu Dei, conſenſu totius mundi, obedientia Principum, conſonantia Scripturarum. Ex quo tempore acceptum & receptum eſt non aliud eſſe agere cuiquam adverſus canones quàm adverſus Deum, & adverſus ejus univerſalem Eccleſiam; neque ſenſum eſt unquam à quibuſq; fidelibus, ut talia ſtatuta abſque periculo religionis violarentur. Quod ergo Deo auctore ſtatutum eſt, nova neceſſitate, quæ tunc temporis non accidit, excuſabilem facere non poteſt violatorem: quia omnipotenti Deo omnia tempora omniãque volumina ſeculorum præſentia ſunt, & ſtantia; neque aliquid præteriti poteſt recordari, nec futurum aliquid expectare. Quamobrem iſtæ, quas nunc homines prætendunt neceſſitates, & quarum cauſa ſe impune putant reſ ſacras in uſus communes vertere, licet tunc hominibus futuræ eſſent, Deo tamen præſentes erant; quòdque ſpiritu ſuo ſtatuit Eccleſia, tenendum cunctis diebus uſque in finem ſeculi voluit cuſtodiri. Sed quoniam quod de ſacris rebus in laicales uſus inlicitè translatis dicimus, non fecit iſte dominus Imperator, ſed præceſſores

ejus, & propterea isti impossibile est omnia emendare quæ antecedentes malè usurpata dimiserunt; saltem admonentibus vobis cogitare dignetur periculum, quod licet & vitare nequeat, tamen dum pensat, timet, ac dolet, apud misericordem Dominum fiat per hæc excusabilis. Et vos communicate pondus periculi, sublevatèque portantem, in quantum fieri potest; ut dum vos illi communicantes in periculis, & ille vobis compatiens extiterit in tristibus, ac defensor in persuasionibus, dumque unum sapitis, tantumque periculum communiter toleratis, avertatur ab illo necnon & à vobis hujuscemodi prævaricationis vindicta. Cùm hæc igitur à me dicerentur, responderunt piè reverentissimi viri Adalardus & Helisacar Abbates. Vtrum verò audita retulerint Domino Imperatori, nescio.

V. Sequenti autem anno, cùm adessent iussi in Compendio Palatio, & de his inter eos sermo haberetur; ad hunc modum, post multa colloquia, in quantum ego intellexi, ratiocinia sunt perducta, ut primum quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus sacris inlicitè usis; post verò cum Dei timore in illis quas habent laici cautiores effecti, etiam in his quæ remanserunt Ecclesiis fideliores atque clementiores existerent; ita ut & suis adhiberent pietatem, ut & Ecclesiis defensionem; fieretque compatiendi concordia remediabilis ac veniabilis, offensioque comitante pietate de indulgentia quoque esset secura.

VI. Hanc rem cùm Dominus Imperator audiret atque perpenderet, volens eam ducere  
ad

ad tranquillitatem pacis, quæ ad modicum turbata fuerat, quantum in se fuit, fecit uniri Episcopos & Comites in consensum & pacem. Ex hoc itaque putavi ego, quod eodem modo quo Dominus Imperator pensavit atque intellexit rationem, sopirique fecit dissensionem, omnes etiam Comites vel honorati ejus intellexissent atque voluissent. Sed è contrario, ut audio, isti de quibus nobis sermo est inchoatam discordiam magnificant, & de concordia in conspectu Domini Imperatoris nihil se audisse vel intellexisse dicunt. Verùm quia in his neminem illorum aut mitigare possumus, aut exasperare volumus; dimittamus causam Deo, qui omnia dispensat, & ei cui commissa sunt ad regendum, ut faciat quod Deo inspirante eventus rerum tulit. Et quod ad nos non pertinet omittentes, transeamus ad ea quæ ad omnes fideles, qualiter credenda, vel intelligenda sint, pertinent; ac juxta quod exiguitas sensus nostri attingit, ex auctoritate Scripturarum vel Canonum nostris oculis consideranda proponamus, ut petisti.

VII. Licet indignum ducatur nos melioribus insinuare quid sentiendum sit de dispensatione ecclesiasticarum rerum, neque à talibus quales nos sumus, id potentes seculi inquirendum putent; tamen quia inter tales conversamur ut velimus nolimus, crebrò de hoc audiamus & loquamur, rectè, ut puto, tibi, frater carissime, visum est ut de sacris libris & canonibus auctoritatem sumentes, pariterque exempla sanctorum ad medium deducentes, humanos errores, qui summopere vitandi sunt, ca-

veamus, & veritatem Dei, à qua qui recesserit in tenebris maneat necesse est, teneamus. Sanè cùm nos ad hanc roborandam de testamento veteri plura sumpserimus, erunt fortasse qui dicant aliarum rerum figuras esse, nec per hæc contentionem posse finiri. Hujusmodi ergo homines, si qui erunt, videtur mihi ut interrogare studeas, unde Patres doceant non posse quemquam ad sacerdotium promoveri, si viduam, vel repudiatam, sive meretricem, & ut compendiosius dicam, non virginem in conjugium sumpserit; etiam si secundum Apostolum unius uxoris vir esse doceatur. Cùmque hoc in novo non potuerint demonstrare, fateantur necesse est decreto veteri contineri. neque hoc solum, sed & multa forsan hujusmodi. Tum consequens erit, arbitror, ut & istas ratiocinationes inchoatas in veteri testamento, ex ipso etiam firmitatem obtinere posse & debere concedant; præsertim cùm & litteris evangelicis atque apostolicis confirmetur quòd ubicunque lex moralitatem docet, ita ut dicitur intelligenda sic ac tenenda. Videtur mihi præterea, ut quoniam omnia testimonia quæ ad præsentis quæstionis absolutionem inde sumuntur, & omni omnino parte non conveniunt eis rebus quibus defendendis aptantur, tam breviter à nobis perstringantur ut piis quidem sufficientia videantur, illis verò qui quæstionibus magis quàm ædificationi inservire parati sunt, laboriosam loquacitatem proprio libitu reservent.

VIII. Notum est cunctis Scripturas legentibus, ab initio humani generis Sacerdotes fuisse & altaria, victimas & sacrificia; nec solum

hæc Deo oblata, sed & decimas votas & sacerdotibus redditas, ipsis denuo sacerdotibus primitias diligenter datas, ceterisque ministris ab omni populo cunctarum rerum decimas tributas, qui etiam acceptis ex ipsis decimis decimas persolverent sacerdotibus. Illud quoque manifestum est, quod præter eas, quas ministris, id est, Levitis, populus exsolvebat, jussi sunt à Domino alias rerum suarum in tertio anno decimas sumere; & non in quibuscunque locis, sed in sacris, id est, juxta altare Domini, viduis, pupillis, orphanis, & Levitis comedere. Iussit etiam Dominus ut sacerdotibus & Levitis darentur ab omnibus filiis Israël urbes ad habitandum. Et datæ sunt quadraginta duæ, & sex confugij, id est, simul quadraginta & octo civitates; paritèrque in circuitu uniuscujusque civitatis spatium cubitorum duum millium ad partem pecorum. Permansitque hoc inconvulsim omni tempore Iudicum & Regum; ita ut nec impius Achab, nec sceleratus Manasses, nec filius ejus Ammon, temerare ausi sint. Sed postquam separatus est Israël à domo David per Ieroboam, qui peccare fecit Israël; tunc primùm ejecti sunt sacerdotes Domini, sicut ipsi Ieroboam impropertur per Abiam Regem Iuda.

Deuter. 26.

Num. 35.

1. Reg. 21.

2. Paral. 13.

IX. Post mortem Moyfi, tulit Iosué omnem multitudinem filiorum Israël, & venit in Galgala. Cùmque circumdedissent urbem Hierico, dixit Iosué ad omnem Israël: *Tradidit vobis Dominus civitatem, sitque civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino.* Et post pauca: *Cavete ne de his quæ præcepta sunt con-*

1. Reg. 6.

tingatis, & sitis pravaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint, atque turbentur. Quicquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum aeneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris eius. Et iterum: Urbem & omnia que in ea inventa sunt succenderunt absque argento, & auro, & vasis aeneis, ac ferro, que in ararium Domini consecrarunt. Mirumque in modum, cum unti homo hoc pravaricatus fuisset, omnes dicuntur pravaricati esse & usurpasse de anathemate; Dominusque iratus refertur contra filios Israël.

*Levitic. 27.*

*Ibid.*

*Ibid.*

X. Præceptum est à Domino per Moysen ut animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum sit, & mutari non possit, id est, nec melius malo, nec pejus bono. quod si mutatum fuerit; & ipsum, aut, quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. Itemque de domibus & agris dicitur: Homo si voverit domum suam, & sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos, & juxta pretium quod ab eo fuerit constitutum venundabitur. Sin autem ille qui voverat, voluerit eam redimere, dabit quintam partem estimationis supra. Similiter quoque; jubetur & de agro; quem si is qui vovit noluit redimere, sed alteri fuerit venundatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit; quia cum Iubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata, ad eius pertinet Sacerdotem. Et post pauca: Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, sive animal, sive ager, non venundabitur, nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum erit Domino. Si omnipotens

Deus consecrari sibi homines, animalia, vel agros, aut domos nollet, nunquam hoc vel in veteri præciperet vel in novo fieri permetteret testamento.

XI. Quanta autem reverentia consecrata Domino debeant custodiri, ex multis Scripturæ locis potest colligi, ex innumerabilibus divinæ defensionis ultionibus, quæ ab universo mundo unquam scribi potuerint; sicut magnopere atque evidenter in verbis dominicis per Prophetas denuntiatis prudens lector valet intelligi. quale est illud quod per Hieremiam, sicuti mos est per similitudinem eorum quæ magis nota sunt occulta significari, proverbialiter dicitur: *Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum ejus. Omnes qui devorant eum, delinquunt. mala venient super eos, dicit Dominus.* Quorum verborum, ut beatus Hieronymus ait, hic sensus est: *Quomodo qui primitias devorant, nequam de genere sacerdotali, sceleris rei sunt; sic qui contaminant Israël, malis subicientur.* Malachias quoque sub exhortatione decimarum retributionem & vindictam diligentibus pariter ac negligentibus ex verbis Domini proponens quasi interrogantibus Deum, & dicentibus, *In quo configimus te?* respondit dicens: *In decimis & primitivis. In penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea; & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperiero vobis cataractas cœli, & effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & cetera.* His similia in libro leguntur Esdræ. Ait enim. *Statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam*

Jerem. 2.

Malach. 3.

2. Esdr. 10.

» partem sicli per annum ad opus domus Dei no-  
 » stri, & panes propositionis, & ad sacrificium  
 » sempiternum. ] Et iterum: Sortes misimus su-  
 » per oblatione lignorum inter Sacerdotes & Le-  
 » vitas & populum, ut inferantur in domum Dei  
 » nostri per domos patrum nostrorum, per tem-  
 » pora, à temporibus anni usque ad annum; ut  
 » arderent super altare Dei nostri, sicut scriptum  
 » est in lege Moyfi; & ut afferremus primogenita  
 » terræ nostræ, & primitiva universi fructus om-  
 » nis ligni, ab anno in annum in domū Domini, &  
 » primitiva filiorum nostrorum, & pecorum no-  
 » strorum, sicut scriptum est in lege; & primi-  
 » tiva boum nostrorum, & ovium nostrorum,  
 » ut offerantur in domo Dei nostri sacerdotibus  
 » qui ministrant in domo Dei nostri; & primiti-  
 » va ciborum nostrorum, & libaminum, & poma  
 » omnis ligni, vindemiæ quoque, & olei, affe-  
 » ramus sacerdotibus ad gazophylacium Dei no-  
 » stri, & decimam partem terræ nostræ Levitis.  
 » Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civi-  
 » tatibus operum nostrorum. Erit autem sacerdos  
 » filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum,  
 » & Levitæ offerent decimam partem decimæ  
 » suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in  
 » domo thesauri. Ad gazophylacium enim de-  
 » portabunt filij Israël & filij Levi primitias fru-  
 » menti, vini & olei; & ibi erunt vasa sanctifi-  
 » cata, & sacerdotes, & cantores, & janitores,  
 » & ministri, & non dimitemus domum Dei no-  
 » stri. ] In quibus verbis evidenter apparet, quan-  
 » ta illius populi cura & diligentia esset erga do-  
 » mum Dei, & cuncti generis sacrificia, vel do-  
 » naria: qui non solùm decimas, ac primitias, sed

etiam tertiam partem sicli omni studio religionis ferventes curabant exsolvere; adimplentes proculdubio præceptum legis, quæ dicit: *Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illum Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Deut. 23.

XII. Quæ verba idcirco hîc ponenda putavi, ut religiosè fidelis quisque consideret, quia si illi qui vouet, & tardè reddit, tarditas ipsa in peccatum reputabitur, multò utique majoris criminis reus est, qui nec tardè quod vovit exsolvit. Si verò is qui propria vota non reddit, infidelis esse convincitur, juxta Ecclesiastem, qui dicit displicere Deo infidelem & stultam promissionem, & omnino melius esse non vovere, quàm post vota, promissa non reddere; quantò majoris impietatis reus est, qui ea quæ alij voverunt ac reddiderunt usurpat, invadit, diripit, & diripienda concedit, perversèque judicando, vel fallaciter testificando, atque impiè perjurando, à domo Dei alienare festinat, ubi ab aliis vota & reddita ac delegata sunt?

Eccle. 5.

XIII. Legimus in libris Regum, quòd non modò laudabiles, verùm etiam reprehensibiles Reges, ea quæ patres illorum voverant nec reddiderant, ipsi intulerint in domum Domini, & in thesauros ejus. Si ergo laudatur pietas filiorum paterna vota reddentium; è contrario omni est execratione dignissimum si patris votum filius subtrahat, quòdque ille contulit, hic auferre non metuat. Legitur in volumine Hieremiæ Prophetæ, quòd tempore il-

3. Reg. 7.  
2. Par. 15.

lo principes & universus populus inierunt pactum, ut dimitteret unusquisque servum suum, Hebræum videlicet & Hebræam, qui tamen in sequentibus amici & proximi ac fratres dicuntur, & ultrà eis non dominarentur, conversique deinceps retraxerint servos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subjugaverint in famulos ac famulas. Quam ob causam graviter adversum eos Dei ira succensa, tali illos perculit comminationum procella: Vos, inquit, reversi estis, & commaculastis nomen meum, & reduxistis unusquisque servum suum & ancillam, quos dimiseratis ut essent liberi, & subjugastis eos. Propterea hæc dicit Dominus. Vos non audistis me, ut predicaretis libertatem unusquisque fratri & amico suo. Ecce ego prædico libertatem, ait Dominus, ad gladium, & pestem, & famem, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. Et post pauca infert: Et erit morticinium eorum in escam volatilibus cœli, & bestiis terræ.

XIV. Itaque si illi qui servos Hebræos dimissos juxta legem liberos, iterum in servitium retraxerunt, & suos utique, non alienos, nomen Domini commaculasse dicuntur, & ob hoc gravissima ultione plectuntur; fideliter religiosus quisque consideret, quanto inremediabiliori furore digni sunt, qui non solum proprios olim servos à se vel à parentibus suis libertate donatos in servitium revocant, verum etiam ab aliis libertos factos, & à liberatoribus suis patrociniæ & defensionis causa Ecclesiæ delegatos, contra fas multipliciter affligunt, omnique servitute deprimunt, nulla Ecclesiæ vel sa-

sacerdotibus relicta potestate, qui eos patrono-  
 rum vice tueri debuerant. Vehementer prorsus  
 nomen Domini à talibus commaculatur; do-  
 musque ejus, quæ est Ecclesia, violenter præ-  
 datur; & mater fidelium exhonoratur; cujus  
 injuria, proculdubio & Dei est. Et de hac qui-  
 dem sententia, absque aliorum læsione, forsan  
 loqui non possumus. Si cui tamen libeat consi-  
 derare patienter, valet inspicere quantò hæc  
 tempora sint pejora, quàm fuerunt antea etiam  
 illa quæ sub infidelibus transferunt. Illi nam-  
 que diis suis, qui non erant dij, sed opera ma-  
 num eorum, honorem exhibebant, nec eo-  
 rum sacra ausi erant violare. Nunc autem hi  
 quibus dictum est, *Honora Dominum de tua*  
*substantia*, versa vice exhonorant Dominum  
 de sua; cum non solum ecclesiasticæ familiæ  
 abutuntur servitiis, sed & libertos ejus mise-  
 rabili deprimunt servitute.

Prov. 3.

XV. Porrò quòd ignorantes Deum verum,  
 falsosque colentes, diligentius deferant sacris  
 ac sacerdotibus suis, quàm nunc plerique, in sa-  
 cra historia manifestissimè demonstratur: quæ  
 narrat beatum Ioseph totam terram Ægypti  
 subjecisse Pharaoni, præter terram sacerdo-  
 tum, quæ à Rege eis tradita fuerat; quibus &  
 statuta cibaria ex horreis publicis præbeban-  
 tur, & idcirco non sunt compulsi vendere pos-  
 sessiones suas. Quæ in re pensandum est, quan-  
 ta diligentia sacerdotes suos venerarentur, qui-  
 bus non solum donaria sacra ministrabant, sed  
 & communes cibos tam sollicitè præbebant, ut  
 nec comparare eos paterentur. At nunc in qui-  
 busdam locis, nullus ordo hominum, siue sint

Genes. 47.

liberi, sive servi, de habitatione sua tam infidus est ut sacerdotes; utpote qui nullo modo securi esse possint, nec scire quot diebus Ecclesiam vel habitaculum suum eis habere sit licitum. Certè cùm populus Iudaicus in templo Domini, præter res sacras, etiam communes ageret, atque in sacratis atriis venalia diversa conlocaret; quanquam & ipsum licitè sacrorum causa fieri putaretur, ut oblaturi sacrificia, nec de suo habentes, facilè comparanda invenirent, tamen Dominus, ut domus suæ & patris curam se habere monstraret, quod nullo alio in loco fecisse legitur, flagellis talia agentes eliminavit de templo. Penset igitur cui placet ex factis & verbis Domini, si in ejus domo aliud aliquid vendere non licet, quantò magis ipsam domum facere nefas est venalem. Sacerdotes Ægyptiorum, tempore famis, ita aluntur stipe publica, ut possessiones suas vendere non compellantur. Nunc non solùm possessiones ecclesiasticæ, sed ipsæ etiam Ecclesiæ cum possessionibus venundantur. Nec de illis quammaximè audemus dicere, quorum proavi aut abavi construxerunt Ecclesias, ac ditaverunt, & testamentis scriptis atque firmatis nullos se habituros heredes nisi Ecclesiam & rectores eius denuntiaverunt; & nunc ipsi contra pietatem majorum, si parietes sibi vindicare potuerint, non tantùm ea quæ à constructoribus conlata sunt, sed & multa quæ plerique fidelium pro sepulturis aut qualibet devotione alia ibidem sacraverunt, cum ipsis Ecclesiis vendere licitum putant, nullo prohibente.

XVI. Verùm quia ex domo Domini, quæ

*Matth. 21.*

*Marc. 11.*

*Luc. 19.*

*Ioa. 2.*

*Genes. 47.*

fuit in Hierusalem, occasio nobis sumpta videtur ut ista de Ecclesiis diceremus, ne fortè aliquis putet ea quæ de illa referuntur non pertinere ad domos basilicarum, intelligat, cui talis subrepsit cogitatio, ea causa fieri Ecclesias, qua & ipsa domus facta est, ad laudandum videlicet Deum, ad deprecandum, ad sacrificandum; sicut ipse Salomon ædificator & dedicator ejusdem templi in oratione consecrationis suæ ait Domino: *Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista quam ædificavi? Sed ad hoc tantum facta est ut respicias orationem servi tui, & obsecrationem ejus, Domine Deus meus; ut aperiās oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus. Exaudi preces famuli tui & populi tui Israël, quicumque oraverit te in loco isto.* Quapropter omni fide omnique ratione quicquid in illa à cultoribus vel contemptoribus licitum sive illicitum gestum est, & quicquid de illa, tam ad diligentiam extruentium, quàm ad negligentiam cessantium, seu ad malitiam destruendum, pertinens memoratur, ædificatarum Basilicarum exempla, auctoritates, & cultus esse tenendum est. Consequens ergo erit ut religiosè perpendamus, qualiter Dominus erga restorationem ejusdem templi, & negligentes damnet, & devotos remuneret, ex verbis quæ per Aggæum Prophetam loquitur, dicens: *Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum:*

2. Paral. 6.

Aggæi. 1.

» Ponite corda vestra super vias vestras. Semina-  
 » stis multum, & intulistis parum; comedistis, &  
 » non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati;  
 » operuistis vos, & non estis calefacti; & qui  
 » mercedes congregavit, misit eas in sacculum  
 » pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum:  
 » Ponite corda vestra super vias vestras, ascendi-  
 » te in montem, portate lignum, & ædificate do-  
 » mum; & acceptabilis mihi erit, & glorificabor,  
 » dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce  
 » factum est minus: & intulistis in domum, &  
 » exsufflavi illud. Quam ob causam? dicit Domi-  
 » nus exercituum. Quia domus mea deserta est,  
 » & vos festinatis unusquisque in domum suam,  
 » Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne da-  
 » rent rorem, & terra prohibita est ne daret ger-  
 » men suum; & vocavi siccitatem super terram,  
 » & super montes, & super triticum, & super  
 » vinum, & super oleum, & quæcunque profert  
 » humus, & super homines, & super jumenta,  
 » & super omnem laborem manuum. ] Et post  
 » aliqua: Ponite corda vestra ex die ista, & in fu-  
 » turum, à die vicesima & quarta noni mensis, à  
 » die qua fundamenta jacta sunt templi Domini,  
 » ponite super cor vestrum. Numquid semen in  
 » germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malo-  
 » granatum, & lignum olivæ non floruit? Ex die  
 » ista benedicam. ] Si filij Israël, nuper de capti-  
 » vitate regressi, quia negligunt restaurare tem-  
 » plum Domini, tanta sterilitate feriuntur, itém-  
 » que fundamentis jactis, mox omni benedictio-  
 » ne cunctarúmque rerum fœcunditate cumulari-  
 » tur; constat profectò maximum religionis esse  
 » divinæ domui diligentiam adhibere; eamque

Idem. 2.

negligere, causam miseriæ atque infelicitatis existere.

XVII. Sed & illud attentius considerandum quod in hac prophetia legitur: *Et suscitavit Deus spiritum Zorobabel ducis, & spiritum Iesu sacerdotis, & spiritum reliquorum de omni populo.* Ut ex hoc perspicue intelligatur, obsequentem quemlibet & amatorem templi Dei, domum esse Spiritus sancti; cum manifestè appareat, non solum fidelium spiritum suscitasse tunc Deum, ut cum omni lætitia omnique alacritate domum Dei cuperent instaurare, sed & infidelium Regum, Cyri videlicet, ac Darij, & Artaxerxis: qui non tantum licentiam ædificandi dederunt, verum & adjutorium præbuerunt lignorum, frumenti, & vini, & olei, ac salis, & pecorum, & dona auri, atque argenti, cum principibus suis. In libris etiam Machabæorum, nonnulli Reges erga templum Dei munifici fuisse memorantur, in quibus & vindictæ Dei pariter leguntur in eos qui diripuerunt vel diripere conati sunt vasa sacra; sicut de Antiocho Rege, & Heliodoro, qui à Seleuco missus fuerat, in promptu est meminisse. Ecce filij Israël, fundamentis templi jactis, confestim in omnibus benedicuntur; differentes opus, acriter pro negligentia flagellantur; direptores sacrorum, inrevocabili sententia damnantur. Cur ergo nobis non sufficit ad exemplum, cum tam multipliciter per totas Scripturas legamus & cognoscamus domum Dei diligere, religiosum esse; negligere, inreligiosum; diripere, impium; omnesque sua recepisse merita, & omnes principes eorum qui dixerunt, *Hereditate*

2. Par. 36.  
1. Esd. 1. & 6.

2. Mac. 13.

2. Mac. 5.

Psal. 82.

possideamus sanctuarium Dei, positos aut ponendos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti.

XVIII. Sed forsan aliquis hæc in veteri testamento fieri oportuisse contendat, in novo autem non tantopere servanda. Meminerit, quisquis ille est, dominici exempli, quod ex verbis evangelicis sancti intellexere patres. Refert namque Evangelista mulierem quandam accessisse ad Dominum, pedesque ejus un-

*Matth. 26.*

xit: *Ut quid perditio hæc unguenti? Potuit enim venundari multo, & dari pauperibus.* Ad quod

*Joan. 12.*

subjungens idem Evangelista, *Hæc, inquit, dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, exportabat.* Quid autem Dominus de loculis faceret, ostenditur ex parte ex eo quod cum

*Joan. 13.*

Iudæ egredienti à se, & ingresso jam Satana in se, dixisset, *Quod facis, fac citius,* audientes discipuli putaverunt quod juberet illi ut emeret necessaria ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. quod utique non putarent, nisi antea fieri vidissent. Verum quia quæsitum est, cur Do-

*Matth. 10.*

minus, qui discipulis dixerat, *Nolite portare aurum, neque argentum, neque æs, in zonis vestris,* nec permisit eos ferre aliud in via, nisi virgam tantum, ipse in loculis thesauros habuerit; disputat de his, in quantum recordari valeo, beatus Augustinus; dicitque quod Dominus noster

*August. in Joan. tract. 50. c. 12.*

Iesus Christus, qui Ecclesiæ suæ formam & instructionem præmisit factis & dictis, sicut scriptum est, *Quæ cepit Iesus facere & docere,* prævidens futurum esse ut in Ecclesiis thesauri fideli-

*Aff. 1.*

ter ren a fi co, fur. hor dix ren nat: Iud ne p fur pub mir dub & l rō frau cil esse in f Cū fati vel mes 2 tuit dix dra Pet ret qui exp alit

ter à fidelibus ac laudabiliter à religiosis conde-  
 rentur, atque custodirentur, & perniciosissimè  
 à furibus fraudarentur, ( Fures generaliter di-  
 co, sicut in Apostolo accipimus, ubi ait, *Qui* Ephes. 4.  
*furabatur, jam non furetur*, de omni scilicet in-  
 honesto quæstu ) voluit in hac re præfigere, ut  
 dixi, formam Ecclesiæ suæ, ad quos usus habe-  
 rentur, & qua fide tractarentur, vel qua dam-  
 natione digni essent fraudantes, cùm tali fine  
 Iudas abierit in locum suum. In qua disputatio-  
 ne prædictus Pater tres, nisi fallor, differentias  
 furtorum & furum facit, de privatis videlicet,  
 publicis, ac divinis rebus. Nam cùm alicui ho-  
 mini de proprio thesauro aliquid furari, procul-  
 dubio reatus sit; multò major de publico, quod L. 9. D. ad  
leg. Jul. pecul.  
 & leges seculi sacrilegium vocaverunt. Iam ve-  
 rò de dominicis, id est, ecclesiasticis thesauris,  
 fraudare aliquid, ( quod apud nos specialiter sa-  
 crilegij nomine censetur ) adeo immane scelus  
 esse manifestum est, ut qui istam committant,  
 in sortem Iudæ deputandi minimè dubitentur.  
 Cùm ergo hæc ita se habeant, cùmque de præ-  
 fatis rebus illicitè aliquid in dando, accipiendo,  
 vel retinendo usurpare, furari sit; penset pia  
 mens, quanta cautela res egeat.

XIX. Quæsitum est etiam, vel quæri po-  
 tuit, cur Dominus exactoribus publicis, qui  
 dixerunt Petro, *Magister vester non solvit di-* Math. 17.  
*dragma de oculis*, non dederit stateram, sed  
 Petrum ad mare direxit, ut de ore piscis tolle-  
 ret? Responsumque est à Doctoribus Ecclesiæ,  
 quia dominici loculi in pauperes & in dies festos  
 expendebantur, & cùm exegisset necessitas in  
 alimenta discipulorum Domini, (sicut scriptum

*Ioan. 4.*

est: *Discipuli autem abierunt in civitatem, ut cibos emerent.*) noluisse Dominum rem pauperum in publicam exactionem mittere, sed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere & fisco reddere voluisse, ut formam daret discipulis, quam Ecclesie commendarent. Iuxta quam formam statuerunt sacri canones modum res ecclesiasticas dispensandi; scilicet ut in alendis egenis, in sustentandis Clericis, in reparandis fabricis, atque in rectorum supplendis necessitatibus expenderentur; prout sanctorum exempla commendant, & usque ad proxima tempora custoditum esse non dubium est. Ex laicis denique non solum possessores sacrarum rerum, sed nec dispensatores fieri permittunt. quin potius œconomos de proprio Clero eligi præcipiunt, & agros, vineas, atque mancipia ad usum tribui, non nisi Clericis, monachis, peregrinisque concedunt. De qua re si quis diligentius vult agnoscere quid vel in quibus Conciliis dicatur, legendo & revolvendo cognoscat.

*Concil. Chalced. can. 26.*

XX. Verum quia sunt qui Gallicanos Canones aut aliarum regionum putant non recipiendos, eò quòd Legati Romani, seu Imperatoris, in eorum constitutione non interfuerint; restat ut etiam sanctorum clarissimorum Patrum doctrinas, & expositiones, diversosque tractatus, ut sunt Cypriani, Athanasij, Hilarij, Hieronymi, Augustini, doceant non esse recipiendos: quia cum hæc tractarent, vel exponerent, Legati Romani sive Imperatoris non aderant. Melius mihi sentire videntur, qui secundum Domini dictum, ubi duo vel tres in nomine

*Matth. 18.*

mine Domini congregatos agnoscunt, Dominum quoque inter eos affuisse non dubitant, & eum qui Ecclesiam non audierit, sicut Ethnicum & Publicanum habendum credunt. Vbi-  
 cunque enim catholici Ecclesiarum rectores pro Ecclesiarum utilitatibus cum Dei timore in eius nomine & honore conveniunt, quicquid consonanter sanctis Scripturis statuunt, nulli proculdubio spernenda, immo veneranda omnibus esse debent. quod illa quammaximè auctoritate fulcitur, quia bina per annos singulos Concilia fieri & Romani Pontifices decreverunt, & magna Concilia sollicitè commendarunt. Rectius profectò facere videtur, qui ubi-  
 cunque magnarum synodorum statuta deficiunt, propter insuetas emergentes causas antiquorum statuta, quæ meritò reprehendenda non sunt, sequenda deliberat, quàm qui ea quæ ipse sentit, eorum sensibus anteponit. Firmissimè omnino teneo quòd omnes orthodoxi rectores quibuscunque locis vel temporibus de rebus ecclesiasticis tractandis conservandisve aliquid statuerunt, antecessorum statutis & divinarum litterarum auctoritati magnopere studuerint consonare. Iam verò de donandis rebus & ordinandis Ecclesiis nihil unquam in synodis constitutum est, nihil à sanctis Patri-  
 bus publicè prædicatum. Nulla enim compul-  
 sit necessitas, fervente ubique religiosa devo-  
 tione, & amore inlustrandis Ecclesiis ultro æstuante. Quem non ad hæc accenderet dominicum illud factum & dictum, quod Evangelium refert, sedisse Dominum contra gazophylacium, & aspexisse quomodo turba jactaret æ-

in gazophylacium, pauperemque viduam super omnes laudasse, quæ duo tantum minuta jactaverat? Ecce sedens Dominus aspicit offerentes, ut beneplacitum sibi demonstret munus fidelium. Satis verò consequens est, ut aspiciens offerentes, despiciat auferentes, laudans totum dantem, vituperet non dantem, immo quippiam fraudantem, sive aliquid rapientem.

Matth. 21.  
Marc. 12.  
Luc. 20.

Rom. 13.

Isa. 51.

Prou. 29.

Matth. 10.

Psal. 14.

XXI. Sed & illud quod jubet & reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo, tantò quisque attentius penset, quantò devotius curat. Quod verè præceptum & Apostolus commendat implendum dicens: *Reddite omnibus debita; cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Neque enim timorem debemus hominibus, cum præcipiatur nobis per Prophetam: *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuat.* Itemque scriptum sit: *Qui timet hominem, citò corruet.* Et: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Sed timorem utique debemus Deo, honorem autem Deo, ac domui, omnibusque membris ejus; sicut Scriptura, quis sit justus demonstrans, dicit: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominus glorificat.* Et exhibendus ergo est Deo timor, ne offendatur moribus; & exhibendus honor, ut glorificetur oblationibus. Sic nempe à Patribus intelligitur quod dictum est, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, id est, tributa, ac vectigalia. *Quæ autem sunt Dei Deo*, id est, decimas, primitias, ceteraque donaria,

tam vota, quam spontanea. Nam & assertio Iudaica idcirco putabat illicitum esse tributum solvere Cæsari, quia supradicta Deo solvere iussi erant. Commendat autem Dominus hæc facienda, ubi ait: *Vae vobis Scribae & Pharisæi hypocrita, qui decimatis mentam, & anethum, & cuminum, & omne olus; & relinquitis quæ graviora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem; cum ilico subjungit, Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Matth. 23.  
Luc. 11.

XXII. Oportet ergo, & semper oportebit, quod Dominus oportuisse testatur; neque parvipendendum fuit aut erit unquam quod Dominus vel fieri iussit, vel factum facientis devotione commendavit. Certè lex non vetuit subjectos aut vinum bibere, aut in domibus habitare. Et tamen Ionadab filius Recab filiis suis, exhortando, interdixit utrumque. Qui post multa annorum curricula compulsi ab hostibus ingredi civitatem ad manendum nullatenus compelli potuerunt, ne à Propheta quidem, ad bibendum vinum; & idcirco laudati sunt à Domino pro obedientia, promittente etiam quòd non esset defecturus vir stirpis Ionadab de conspectu Domini. Si quod unus homo præcepit posteris, tam attentè tam religiosè custoditum est usque in longinquum, ut laude etiam dignum Dei haberetur; (quod utique non ex legis sanctione, sed ex religionis fervore præceperat) quid de nostri temporis hominibus æstimandum est, quibus omnipotens Deus & generalis Ecclesia sub nomine patris ac matris præcipere non desinit, nisi ut eorum comparatione objurgemur, sicut & lu-

Hier. 35.

Hier. 35.

daicus populus, Domino dicente: *Prevaluerunt sermones Jonadab sermonibus meis, & cetera?* E contrario autem credendum est quòd in regimine Prælatus quilibet, sine damno inobedienciæ, præcipiens, contemni non potest; sicut apertissimè apparet in gestis Saulis. Nam cum filius ejus Ionathas, fide ac virtute protectoris armatus, perrexisset ad stationem Philistinorum, castraque eorum turbarentur; Videns ille cum sociis insecutus est inimicos, persequens atque prosternens; cernensque quòd res prosperè cederet, contestatus est populum, dicens: *Maledictus qui comederit panem hodie, donec ulciscar de inimicis meis.* quod ignorans Ionathas, sumpto melle gustavit paululum. quam ob causam Dominus indignatus est, ita ut respondere nollet quòd populus agere deberet; ac nisi eum transacta bona eripuissent, sorte deprehensus absq; retractatione moreretur. Quia in re cum omni timore considerandum est, quòd eum ignorantia excusare non potuerit, nec tantæ fidei virtus indignationem divinam averterit, quousque ad horam moriendi ventum est. ubi adhuc mirari possemus, nisi aliqui viderent, quòd mel comedit, non panem. Verùm quia, more sacri eloquij, in pane, quicquid comedi potest, accipitur; pensandum est quàm attentè Dominus custodiri velit quicquid non inreligiosè Prælatus quisque præceperit, cum Saulis jussa à nesciente transgressa, sine aliqua vindicta transire non passus sit. Quis est hodie qui se culpæ obnoxium esse crederet, si præipientis injuncta non audiret? Et tamen ex interna regula judiciorum Dei videmus

1. Reg. 14.

peccata subtiliùs & acerbìùs inquiri, quàm nos præcavere aut formidare valeamus.

XXIII. Hæc dicta sint, ut prudentiùs offeratur occasio diligentìùs considerandi, si tam fructuosè unus auditur à multis tam noxius omnibus, unus inobediens efficitur inscius, quantò merito retributionis boni vel mali obediens, aut contemptor efficitur consonanter præcipientibus plurimis; maximè cum non solum Apostolis, sed omnibus his qui docendi ministerium in Ecclesia sortiuntur, dixisse Dominus intelligatur: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Illud quoque Ananix & Saphiræ factum occultum, tam sublimiter inventum, tam atrociter vindicatum, quis dignè exaggerare prævaleat, vnde contractum est tam immane crimen, ut tentasse Spiritum sanctum & mentiti Deo conuicti sint, cum tantum de pretio agri, quod adhuc in illorum erat potestate, servare sibi maluisse referantur? Certè necdum fuerat ante pedes Apostolorum positum, necdum in communionem fraternitatis redactum. Qua severitate judicaretur, si qui de oculis apostolicis & omni Ecclesiæ jam oblatis aliquid præsumpisset, si sic judicatus est qui præsumpsit ex his quæ adhuc erant offerenda? Si cuicumque homini de rebus humanis furatus aliquid fuisset, præcepto legis dupli aut quadrupli restitutione multaretur. Quia verò de sacris rebus, sanctis prædicatoribus sanctisque pauperibus deputatis, vel potiùs deputandis, fraudavit, morte multatus est, quam mortem non intulit gladius, non exercuerunt officium manus, sed sacri sermonis virtus infligit.

Luc. 10.

Act. 5.

Sic fraus prima in Ecclesia de rebus ecclesiasticis perpetrata punita est. Tali pœnitentia damnatus Adam in Paradiso, veritum contingendo morti obnoxius, & habitatione Paradisi indignus effectus est. Ananias cum uxore sua fraudem in Ecclesia faciendo, & societate ecclesiastica & habitatione mundana privatus est. Dixerat Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hinc perfectionem arripientes, & vendentes omnia quæ habebant; rerum suarum pretia non aliis pauperibus quàm sanctis credentibus distribuabant, maximèque prædicatoribus sanctis distribuenda pauperibus offerebant. Tales enim pauperes in verbis Domini intellexerant. Sic & beatus Paulus, cum dextras sibi & Barnabæ ceteri darent, ut illi in Circumcisione, ipsi verò in Gentibus evangelizarent, testatur se etiam hujus quoque ministerij curam suscepisse, dicens: *Tantum ut pauperum memores essemus.*

XXIV. His ergo sacri canones concordantes, res ecclesiasticas, res etiam pauperum esse voluerunt. Nam & Dominus ordinavit ut hi qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant. Ex his itaque inter fideles cœptus est sacratissimus & laudabilis usus, ut Ecclesiæ ditarentur: quatenus ipsa Ecclesia de suo pascat prædicatores suos, & choros ministrorum, turbæque pauperum, ac multitudinem confluentium peregrinorum. Erga quas res quanta reverentia, quantaque fides, & custodia adhibenda sit, demonstravit voluntas Dei per multitudinem miraculorum quæ gesta sunt in universo mundo per singulas regiones, loca, atque Ecclesias;

Genes. 3.

Act. 5.

Matth. 19.

Gal. 2.

1. Cor. 9.

cum jam non unus Ananias cum Saphira uxore propter fraudem in rebus sacris perpetrata morte multati sunt, sed innumerabiles & penè mille alij, qui infirmitate percussi, dæmonibus vexati, cœcitate damnati. de quibus si ea quæ scripta sunt, studiosus aliquis in unum congregare voluisset, aut valuisset, enormia volumina confecisset. Quanto magis ea quæ facta sunt, & divulgata, ac tradita, nec tamen scripta, eo quòd fuerint nimia?

XXV. Hæc idcirco dicimus, non quod divinam percussione omnibus temerantibus temporaliter comminemur; sed magis ut ad curam Dei earum custodiam atque diligentiam pertinere monstremus: qui tantis miraculis per tot tempora terruit improbos, non solùm incredulos, sed & credentes, ne facilè adversùs sacra loca, illicita auderent perpetrare; & ut eos saltem percussio tanquam bruta animalia cohiberet à præsumptione, quos ratio vel executio divinorum mandatorum nequicquam velut homines compescebat. Debuerant etenim nosse, utpote rationales à Deo conditi, quia si non licet concupiscere rem proximi, multò magis Domini.

Exod. 29.

XXVI. Nec hoc ita dictum sit, quasi charismatum divinorum largitio, vel remissio peccatorum, ac donum regni cœlestis non sint concupiscenda; quæ utique res domini sunt. Sed quoniam nobis de sacris rebus Ecclesiarum sermo est, secundùm illud nunc loquimur quod Dominus in Lege præcepit, dicens: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, non do-*

Exod. 20.

*num, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* In quibus verbis summopere est considerandum, quia si contra quemlibet proximum, ob quamcunque rem, falsum existere vel adhibere testem non oportet; multò minùs licet contra Dominum, ob illius Ecclesiæ facultates ejus nomini consecratas simili quoque modo, si domus, aut ager, servus, aut ancilla, & cetera quæ sunt proximi, concupisci non debent; multò itaque magis ea quæ ad sustentationem pauperum Domino sunt tradita, non sunt concupiscenda.

XXVII. Apparet autem in hujuscemodi rebus multitudo miserationum Dei, qui grater ab homine dignatur recipere quæ ipse dedit. Hinc denique est quòd ei David fideliter confitetur dicens: *Tua sunt enim omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nequaquam igitur consecrata Deo concupisci vel auferri debent; quin potiùs tali mente pensari, atque ita inlibata & ab omni usu communi seposita custodiri ut ipse Dominus in Deuteronomio insinuat, ita dicens: *Loqueris in conspectu Domini Dei tui: Attuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levita, & advena, & pupillo, & vidua, sicut jussisti mihi. Non preterivi mandata tua, nec sum oblitus imperij. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi in qualibet immunditia mea, nec expendi ex his quicquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, & feci omnia sicut pracepisti mihi. Respice de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo, & terra, quam de-*

*Deut. 26.*

*disti nobis.* Tali itaque, ut dictum est, nobis cordis devotione primitivæ vel decimæ considerandæ sunt, tanta veneratione intactæ servandæ, & cum hujusmodi confessionis puritate Domino offerendæ; quatinus Dei de excelso cælorum respectus, & populi ac terræ benedictio, possint facilius promereri.

XXVIII. Huic confessioni à Domino injunctæ fidelibus illa quoque Apostoli sententia congruenter valet adjungi, qua fidei discipulo præcepit, dicens: *Si quis fidelis, vel si qua fidelis, habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia, ut his quæ verè vidua sunt, sufficiat. Qui bene præsumt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non infranabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua.* In quibus verbis id præcipuè arbitrator considerandum; quia si vidua cujuslibet fidelis, ab illo est sustentanda, ne gravetur Ecclesia; multò magis aliunde subministrandum est canibus & cavallis, ceterisque tam hominum quàm animantium ministris, quæ vel ad delicias, vel ad pompas, turpèsque jocos, à divitibus possidentur. Et hoc ideo, ne Ecclesiam Dei non solum gravent, verùm etiam vastent, funditisque prædentur. Id namque nimis esse illicitum non hac sola sententia ostenditur, sed multifariè in toto Scripturæ divinæ corpore demonstratur: ubi non solum prævaricantium pœne, sed remunerationes fideliter tractantium res Domino consecratas, multis modis describuntur.

1. Timot. 5.

Deuter. 25.

1. Corinth. 9.

XXIX. Quicumque autem opus hoc lectione & consideratione dignum duxerit, noverit

omnino non hæc nos de solis laicis dicere, sed etiam de Episcopis, Abbatibus, sive quibuslibet Clericis, qui aliud faciunt de sæpeditis sacris rebus, quàm quod faciendum est, aut aliter eas quàm à Deo & sanctis patribus ac rectoribus constitutum est, tractant. De qua re non est necesse, ad multa dicendum, nobis plurimum laborare. Quoniam liquidò patet hominibus ratione utentibus, quanta ex his reprehensibiliter & minùs decenter agantur ab his etiam quos sacer ordo ad ecclesiasticum regimen admittit. Quibus profectò omni attentione pensanda & expavescenda esset illa sententia, qua ex eorum persona beatus Iob loquitur, dicens: *Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus descent; si fructus ejus comeditur absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixit; pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* In quibus verbis quamvis & alius inveniatur intellectus, pertinens ad murmurationem subditæ plebis, cum meritò conqueritur adversus pastorem ob negligentiam prædicationis, vel impedimenta exemplorum malorum, potest tamen & ad personam ecclesiasticæ familiæ non inconvenienter aptari: quam cum iniquè perversus pastor opprimit, & indignè rebus Deo sacratis abutitur, cumque statum & illicitos appetitus suos ac suorum ad jactantiam pompasque mendacij exornat, immo deturpat, non sola Ecclesia, cui ipse præest, sed & omnes qui morum illius fœditatem cognoscunt, ad murmurationem derogationemque contra ejusmodi rectorem excitantur. Hic talis, etiamsi prædicationis eroget pecuniam, ob car-

Iob. 31.

nales tamen libitus & indecentes actus non potest statutam evadere pœnam, quin pro delectationibus vitæ præsentis, æternarum pœnarum illi punctiones oriantur.

XXX. Nec tamen hæc sententia solos pravorum Episcopos, Presbyteros, vel Abbates percutit, & laicos indebitè ecclesiasticis rebus utentes securos relinquit. Quibus illud summo opere hoc loco pensandum est; quia si is quem utcunque ordo acceptus vel impensa prædicatio comitantur, propter lasciviam & turpis lucri appetitum malo suo easdem res in communes usus expendit, ille qui nec ministerium ecclesiasticum sortitur vel exsequitur, nec pecuniam verbi erogat, sed insuper quicquid ad pompam pertinet, sive lasciviam, quasi licentiùs prope rat, sacris rebus utitur, quantò majori malo suo convivia splendida de sacris rebus, quibus gementes & mœrentes in tribulatione paupertatis debuerant consolari, epulatur cum divitibus epulantibus, gaudens, ridensque, & opus Domini non recipiens, & quasi agens quæ Deo placeant jucundatur, satiat præterea & inebriat histriones, mimos, turpissimòsque & vanissimos jocularis, cum pauperes Ecclesiæ fame discruciatu intereant. Quam rem considerandam prudentibus offerimus, non autem exponendo aperimus; quoniam etsi dictum est divitibus, (*Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis, dititiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum aruginavit, & arugo eorum testimonium erit vobis, & manducavit vestras carnes, sicut ignis; thesauri-*

*Jacob. 5.*

zatis in novissimis diebus. Et iterum : *Epulatis estis super terram, & in deliciis enutritis corda vestra.*) non tamen præceptum est eis ut epulis cotidianis vacarent, & preciosissimis induerentur vestibus, ne fortè vel eorum divitiæ putrefactæ remanerent, vel à tineis vestimenta comederentur; immo sicut pro avaritia, sic & pro epulis, & pro luxuriis, præsentis sententiæ comminatione feriuntur.

XXXI. Si autem hæc dicta sunt illis qui talia forsitan de propriis rebus agebant, multò magis quibusdam præsentis temporis divitibus dici potest : *Ululate in miseriis advenientibus; quoniam epulantibus vobis de rebus non vestris, & thesaurizantibus de his quæ ad sustentationem pauperum Ecclesiæ tradita sunt, ipsi pauperes & ecclesiastica familia fame cruciantur; & qui ex eis fraudatus à vobis est vel oppressus, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiit, qui dixit: Non negabis mercedem indigentis & pauperis; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Et multa hujusmodi, quæ de hac re, & de omnibus quæ superiùs comprehensa sunt, in divinis libris dicuntur, nec ab ullo prorsùs hominum absque sui gravissimo damno negliguntur.

Exod. 22.



*LIBER DE DIVINIS  
sententiis digestus, cum brevissimis ad-  
notationibus, contra damnabilem opi-  
nionem putantium divini iudicij verita-  
tem igne, vel aquis, vel conflictu ar-  
morum pateferi.*

I. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri  
Iesu Christi (qui est pax nostra, qui que fecit  
utraque unum, & medium parietem inaceriæ  
solvens inimicitiam in carne sua, legem man-  
datorum decretis evacuans, ut duos condat in  
semetipsum in uno novo homine, faciat pacem,  
& reconciliet ambos in uno corpore Deo per  
crucem, interficiens inimicitias in semetipso,  
& veniens evangelizavit pacem vobis, qui lon-  
gè fuistis, & pacem his qui propè. Quoniam  
per ipsum habemus accessum ambo in uno spiri-  
tu ad Patrem.) incipiunt testimonia divina de lit-  
teris evangelicis, & apostolicis, atque prophe-  
ticis, quibus luce clariùs demonstratur contra-  
ria esse reconciliationi generis humani, ac re-  
conciliatori Christo, pugnae domesticæ & con-  
flictus fraterni putantium rerum labentium du-  
bia & occulta posse pateferi, & per res contra-  
rias veritati, veritatem latentem monstrari.  
Nam si omnipotens Deus, mundi conditor &  
rector, iudicij veritatem in rebus latentibus per  
mutuas cædes inveniri voluisset, aut permisisset,  
nec iudices aut magistros per singulas ur-  
bes constitui præcepisset, nec testibus infician-

“ Ephes. 2.

Hebr. 6.

tes convinci, nec ubi testes defunt, controversiam per iuramentum finire. Sed nec illam legem inter virum & uxorem, si spiritus zelotypiæ virum concitaverit, daret, ut per aquas amarissimas probaretur mulier adultera esse, aut innocens. Vel etiam de invento cadavere hominis occisi juberet propinquioris civitatis principes convenire, & lavare manus, ac protestantes coram Deo dicere quòd manus eorum non effuderint sanguinem innocentem. Neque sanctus & innocens vir David persecutori suo Saul diceret: *Si Deus te incitat contra me, odoretur sacrificio, & cetera.* Sed potius diceret: Mitte unum de tuis qui congregiatur mecum singulari certamine, & probet me reum tibi esse, si occiderit. aut certè: Iube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus inlæsus atteret. aut: Constitue cruces, ad quas stans immobilis perseverem.

1. Reg. 26.

II. Cùm autem nihil tale lex divina vel etiam humana sanxerit, & vani homines nominent ista iudicium Dei; unde probari potest iudicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit, nunquam voluit, nunquam denique sanctorum & quorumlibet fidelium exemplis introductum monstratur. Quasi omnipotens Deus animositatibus vel adinventionibus hominum servire debeat, aut ipse sibi contraria agat; ut qui in Lege & in Evangelio præcepit ut diligat homo proximum suum sicut seipsum, iterum, ac si voluntate mutata, cùm cœperint homines contendere inter se de rebus insensibilibus, (de parte videlicet agelli, aut etiam de toto agro; vel si sint plures agri, aut si contentio fuerit de

Matth. 22.

brutis animantibus, cavallis, porcisve, vel undecunque litigaverint homines cupiditate permoti, quod utique forensium est, non religioforum.) invocatus Dominus ostendit justitiam temporalem, vel potiùs vilissimam; quæ nec propriè dicitur justitia, quia nullus inde fit justus; & cum stat unus adversùs alterum, vir scilicet adversùs proximum suum, quem certè sicut seipsum diligere debet, agente Domino conruat unus coram altero, & quem per sanctam legem diligere jusserat, per legem cupiditatis occidi aut prosterni à proximo faciat. Nempe Apostolus ostendit esse legem peccati, & Rom. 7. 8. legem carnis, & legem mortis, ex quibus ista sunt contraria legi spiritus, & legi vitæ. Nam hi qui spiritu Dei aguntur, & idcirco sunt filij Dei, audiunt Apostolum docentem: *Iam 1. Cor. 6. quidem omnino delictum est quòd judicia habetis inter vos? Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?*

III. Neque hoc dicimus, quasi judicia inter homines necessaria non sint. Non solùm autem necessaria, verùm etiam bona sunt; sed illa de quibus Dominus Salomoni loquitur: *Quia postulasti, inquit, tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens. 3. Reg. 3. Et in alio loco: Multitudo sapientium, sanitas Sapient. 6. est orbis terrarum; & Rex sapiens, populi stabilimentum est. Et iterum: Melior est sapientia Ibid. quàm vires, & vir prudens magis quàm fortis. Audite ergo Reges, & intelligite, discite iudices finium terra. Itémque: Habebo propter hanc (haud dubium quin propter sapientiam) cla-*

Job. 31.

ritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis, & acutus inveniar in iudicio. De quo beatus quoque Iob fatetur dicens: *Si contempserim subire iudicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me.* Neque enim sanctus Iob cum servis ancillisque gladiis aut fustibus conflagabat; cum sciret æquitatem non cadibus, sed sapientia & misericordia componendam, quæ per seipsam loquitur dicens: *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.* Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Hinc autem æterna Dei sapientia indubitanti fide quærenda est, precibus & lectionibus assiduis obtinenda est, Apostolo Iacobo protestante: *Si quis, inquit, vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non impropere, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hesitans.* Quòd verò instanti lectione sit eadem sapientia perquirenda, ita Dominus Iosue contestans ostendit: *Confortare igitur, & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus. Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta que agis. Non recedat volumen legis hujus de ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia que scripta sunt in eo.*

Proverb. 8.

Iacob. 1.

Iosue 1.

IV. Neque putandum est, quòd aut in istis bellis domesticis, aut in insidiis latronum, aut quibuslibet rixis civilibus sive domesticis cadat homo, nisi Deo tradente in manus proximi sui; sicut ipse per Prophetam adversum malos pastores

stores loquitur, dicens: *Et pastores eorum non parcebant eis, & ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus. Ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, & in manu Regis sui; & concident terram, & non eruam de manu eorum. & pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis. Sed & illud in hac sententia notandum est, quod electi dicantur pecora occisionis, sicut & Apostolus de psalmo sumens testimonium dicit: Quia propter te mortificamur tota die, estimati sumus ut oves occisionis. Et in lege præceptum est: Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manu ejus; constituam tibi locum quò fugere debeat.*

Zach. vi.

Psa. 43.

Rom. 8.

Exod. 21.

V. Tota namque fide credere debemus, quòd nihil fiat in mundo, nisi Deo aut dispensante, aut permittente; cùm & capilli capitis fidelium omnes numerati sint, & unus ex duobus aut quinque passeribus non cadat in terram sine Deo, & sicut quidam sanctorum ait, *nec folium de arbore sine nutu Dei decidat.* Tamen quia notissimum est bonos à malis interfici, nunquam autem malos à bonis, nisi in bellis publicis & legalibus judiciis, pertinet hoc ad occulta iudicia Dei, quæ sunt sicut abyssus multa, nec est datum hominibus nosse cur omnipotens ita permittat fieri. Solere autem justos ab iniquis interfici testatur & David, super Abner interitu, dicens: *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner, sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, corruit.* Sed, ut diximus, nulli hæc investigare concessum est, quando & ipse

Matth. 10.

August. in Matth. serm. 6.

Psal. 35.

2. Reg. 3.

Rom. 11.

Paulus, ad tertium cœlum raptus, & iterum in paradiso admirans, exclamet, dicens incomprehensibilia esse judicia Dei & investigabiles vias ejus. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*

Job 12.

VI. Hæc piè humilitérque considerantibus apparet non posse cædibus, ferro, vel aqua, occultas & latentes res inveniri. Nam si possent, ubi essent occulta Dei judicia? Deberet ergo inter catholicos & hæreticos tali examine veritas indagari, sicut quidam superbus ac stultus hæreticus Gundobadus Burgundionum Rex tentabat expetere à beato Avito, egregio & orthodoxo prædicatore, qui ejus vesaniam sapientissimè laudabiliterque repressit, atque redarguit. Quòd si talibus adinventionibus, ut sæpe diximus, valerent latentes culpæ inveniri, nec sapientia, nec sapientes, neque judices, neque magistri essent necessarij. Sed quia verissimum est quod de Deo dicitur, *Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse novit & decipientem & eum qui decipitur*; ab ipso & secundum ipsum quaerenda est rerum & judiciorum veritas. Iam nunc ponendæ sunt ipsæ divinæ sententiæ, & perspiciendum in eis quales auctor earum velit esse, vel quid, aut qualiter agere debeant reconciliati populus acquisitionis, filij resurrectionis, oves summi pastoris, & erga se invicem & erga lupos ac bestias insidiantes.

SEQUUNTUR SENTENTIÆ

Luc. 2.

» Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Quando stant duo altrinsecus parati ad mu-

tuam cædem, non est eis hæc bona voluntas; & ideo angeli pacis non adsunt illis æterna gaudia offerentes.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. “ Psal. 118.

A quibus pax multa scandalum non excludit, necdum habent plenitudinem legis, quæ caritas est.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. “ Matth. 5.

Forfitan dicturi sunt contentiosi, ad possidendam terram viventium mansuetudinem esse necessariam; ad defendendam autem terram morientium, fraternam congressionem. Sed audiant Apostolum dicentem: *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Christi.* 1. Cor. 11.

Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. “ Matth. 5.

Non offertur æterna misericordia & honor filiorum Dei immisericordibus, & pacem dirumpentibus, sed facientibus.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo *Racha*, reus erit consilij. Qui autem dixerit *Fatue*, reus erit gehennæ ignis &c. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & reliqua. “ Matth. 5.

Antiquo populo præceptum, ut qualem quis alteri maculam inflixisset, talem sustinere compelleretur; novo autem, nullum malum inferre, sed illatum æquanimiter tolerare. Qui ergo non solum non resistit, sed etiam modum talionis supergrediens excedit, nec ad antiquum populum pertinet, nec ad novum. Quos jubemur diligere, non permittimur nocentes lædere.

Tribus modis peccatur, cogitatione, locutione, & actione. Patet ergo in cogitatione radicem esse malorum, fructus autem in operatione. Et consequenter veteri populo fructus malorum vetantur, in novo verò radices extirpare jubemur. ideóque apud illos homicidium in reatu erat; apud nos autem ira occulta, & sermo injuriosus. Quapropter qui mentem non purgat à furore, nec manus compescit à cæde, nec cum antiquis legi subditus est, nec cum novis evangelicæ gratiæ libertate donatus.

*Matth. 5.* » Audistis quia dictum est: Diliges proximum  
 » tuum, & odies inimicum tuum. Ego autem di-  
 » co vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite  
 » his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus  
 » & calumniantibus vos; ut sitis filij patris  
 » vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri  
 » facit super bonos & malos, & pluit super ius-  
 » tos & injustos. Si enim diligitis eos qui vos di-  
 » ligunt, quam mercedem habebitis? Nonne &  
 » Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fra-  
 » tres vestros tantum, quid ampliùs facitis? Non-  
 » ne Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfe-  
 » cti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.  
*Matth. 6.* » Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum,

dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta  
 vestra. Si autem non dimiseritis hominibus,  
 nec Pater vester dimittet peccata vestra, Om-  
 nia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis ho-  
 mines, & vos facite eis. Hæc est enim lex &  
 Prophetæ.

Nulla modo quis potest filius Dei esse, nisi  
 imitetur. Qui ergo non imitando, à tanta nobi-  
 litate degenerat, non veraciter sed falsò di-  
 cit: *Pater noster, qui es in cœlis*. Et ideo non tan-  
 tum crudelitate, sed & falsitate damnatur. Si  
 non intrabimus in regnum cœlorum, nisi abun-  
 daverit iustitia nostra plusquam Scribarum &  
 Phariseorum; quanto magis nisi abundaverit  
 plusquam Publicanorum & Ethnicorum?

Matth. 5.

Qui perfectionem remunerat, nihil corrup-  
 tionem nisi damnationem reservat. Considera,  
 o amator rerum periturarum, & neglector  
 tui, quia alij in te peccanti potes dimittere, ti-  
 bimetipsum non potes. Et quia ad tam grave ma-  
 lum nullum majus remedium invenitur, quam  
 ut dimittas quæ potes, ut dimittantur tibi quæ  
 committere vales, delere non potes.

Qui amat patrem aut matrem plusquam me,  
 non est me dignus; & qui amat filium aut filiam  
 super me, non est me dignus.

Matth. 10.

Si ille qui patrem matremve plus amat quam  
 Deum, non eo est dignus; quanto magis erit  
 indignus, si plus amaverit terram, vel por-  
 cum? Amplius enim hæc amare convincitur, qui  
 pro talibus caritatem, quæ Deus est, offendere  
 non veretur.

Amen dico vobis. Nisi conversi fueritis, &  
 efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in re-  
 gnum cœlorum.

Matth. 18.

69

Hujus præcepti negligentiam cruciatus inremediabilis & infinitus sequetur. Porta regni cœlestis angusta est: quæ parvulos capit, sed enormes excludit. Qui ergo stat paratus ad eandem, dum non simplicitate parvulorum humilis, sed gigantea ostentatione vult videri terribilis, ab hujus ingressu omnino reicitur.

Festina implere, dum manus & pedes solutos habes; quia venient dies de quibus dices, *Non mihi placent*; ubi ligatis pedibus & manibus mitteris in tenebras exteriores, id est, fugiendi operandique licentia subtrahetur.

*Matth. 18.* » Domine, quoties peccaverit in me frater  
» meus, & dimittam ei? usque septies? Dicit illi  
» Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque  
» septuagies septies.

*Matth. 18.* » Serve nequam, omne debitum dimisi tibi,  
» quoniam rogasti me usque. Sic & Pater meus  
» cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unus-  
» quisque fratri suo de cordibus vestris. Conver-  
» te gladium tuum in locum suum. Omnes enim  
» qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ha-  
» bete inter vos salem, & pacem habete inter  
» vos.

Quoniam grave malum est peccanti fratri de corde non ignoscere. Quo fit ut olim per pœnitentiam dimissa peccata, revocentur ad vindictam.

Quantò melior est anima corpore, tantò peior est gladius, quo anima in æternum perimitur, quam quo corpus ad tempus occiditur.

Sicut pulmentum quodlibet absque sale non est aptum & utile; sic omnis virtus, etiam ipsa fides, non valet ad salutem hominis sine pace.

Quis horum trium videtur tibi proximus <sup>cc Luc. 10.</sup>  
 fuisse illi qui incidit in latrones? Et ille dixit: <sup>cc</sup>  
 Qui fecit misericordiam in illum. Si filij Abra- <sup>cc Ioon. 8.</sup>  
 hæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem <sup>cc</sup>  
 quæritis me interficere, hominem, qui vera lo- <sup>cc</sup>  
 cutus sum vobis, quæ audivi à Deo. Hoc Abra- <sup>cc</sup>  
 ham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. <sup>cc</sup>  
 Oves meæ vocem meam audiunt, & ego co- <sup>cc Ioon. 10.</sup>  
 gnosco eas, & sequuntur me. <sup>cc</sup>

Si Sacerdos & Levita, qui vulnerato à latro-  
 nibus plagas non imposuerunt, sed quia non  
 profuerunt, proximi non fuerunt; quanto ma-  
 gis illi qui plagas infligunt, proximi non sunt.  
 Qui ergo non impertiendo misericordiam à  
 proximitate se alienum facit, alienus est & à  
 medicamento quod vulnerato jacenti cœlestis  
 Samaritanus clementer infudit.

Qui domesticum fidei occidere quærit, non  
 est filius Abrahæ, quia hoc Abraham non fecit.  
 Facit autem opera patris, id est, diaboli, qui ab  
 initio homicida erat. Qui summè bonum pa- <sup>Ioa. 8.</sup>  
 storem sequuntur, oves sunt; qui autem in  
 membris suis illum insequuntur, lupi sunt.

Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi <sup>cc Ioon. 12.</sup>  
 sum ego, illic & minister meus erit. <sup>cc</sup>

Si qui ministrat, sequitur; qui adversatur, in-  
 sequitur.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis in- <sup>cc Ioon. 13.</sup>  
 vicem; sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invi- <sup>cc</sup>  
 cem. In hoc cognoscent omnes quia mei disci- <sup>cc</sup>  
 puli estis, si dilectionem habueritis adinvicem. <sup>cc</sup>

Non pro his autem rogo tantùm, sed pro eis <sup>cc</sup>  
 qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut <sup>cc</sup>  
 omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego <sup>cc</sup>

Iacob. 1.

» in re, ut & ipsi in nobis unum sint, ut mundus  
 » credat quia tu me misisti. Sit autem omnis ho-  
 » mo velox ad audiendum, tardus autem ad lo-  
 » quendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iu-  
 » stitiam Dei non operatur.

Si dilectione cognoscuntur discipuli Domi-  
 ni, rixis & contentionibus cognoscuntur disci-  
 puli diaboli.

Si unitas trahit mundum ad fidem, dissensio  
 impellit mundum ad perfidiam.

Iacob. 3.

» Quòd si zelum amarum habetis, & conten-  
 » tiones in cordibus vestris, nolite gloriari, &  
 » mendaces esse adversus veritatem. Non est ista  
 » sapientia defursum descendens, sed terrena,  
 » animalis, diabolica. Vbi enim zelus & conten-  
 » tio, ibi inconstantia, & omne opus pravam.

2. Tim. 2.

Et Paulus Apostolus ait, *Noli verbis conten-  
 dere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem  
 audientium, de hac sapientia, quæ non est de-  
 fursum, sed terrena, atque diabolica fit. Et illud  
 quod beatus Paulus insinuat, dicens: Prophana  
 autem & inania loqui devita. Multum enim  
 proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut can-  
 cer serpit.*

Si ergo contentio cordium mendaces osten-  
 dit adversus veritatem, & contentio verborum  
 subvertit audientes; quantò magis contentio  
 manuum & armorum?

Rom. 2.

Non unum opus pravam, aut pars operum, sed  
 omne opus, sicut & Paulus ostendit: *His autem  
 qui ex contentione, & qui non acquiescunt veri-  
 tati, credunt autem iniquitati, ira, & indigna-  
 tio, tribulatio, & angustia, in omnem animam  
 hominis operantis malum.*

Quæ autem defursum est sapientia, primùm “ Iacob. 3.  
 quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, “  
 suadibilis, bonis consentiens, plena misericor- “  
 diæ, & fructibus bonis, iudicans sine simula- “  
 tione. Fructus autem iustitiæ in pace feminatur “  
 facientibus pacem. “

Perpende, ô Iudex, quia illa sapientia quæ  
 iudicat sine simulatione, dolo, & fraude, paci-  
 fica est, & plena misericordiæ.

Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex “ Iacob. 4.  
 concupiscentiis vestris, quæ militant in mem- “  
 bris vestris? Concupiscitis, & non habetis: “  
 occiditis, & zelatis; non potestis adipisci: liti- “  
 gatis, & belligeratis, & non habetis, propter “  
 quod non postulastis. Petitis, & non accipitis; “  
 eò quòd malè petatis: ut in concupiscentiis “  
 vestris infumatis. Adulteri, nescitis quia ami- “  
 citia huiusmodi, inimica est Dei. “

Vnde sint bella & lites, apertè hîc ostenditur.

Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi “ Iac. 4. & 5.  
 huius, inimicus Dei constituitur. Agite nunc di- “  
 vites, plorate ululantes in miseriis quæ adve- “  
 nient vobis. “

Cùm non dicat, *Quicumque est*, sed *Quicun-*  
*que voluerit amicus esse seculi huius*, patenter  
 ostendit quia eodem modo quo Dominus adul- Matth. 5.  
 terum esse pronuntiat in Evangelio, *qui vide-*  
*rit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœ-*  
*chatus est eam in corde suo*, etiamsi ad expletio-  
 nem operis nefarij non pervenerit, quicumque  
 vult amicus esse seculi huius, jam adulter est,  
 etiamsi non pervenerit ad honores & divitias  
 seculi, sicut & Apostolus Paulus non *Qui* 1. Timoth. 8.  
*sunt*, inquit, sed *Qui volunt divites fieri, inci-*

*dunt in tentationem & laqueum diaboli*, ac per hoc efficiuntur inimici Dei.

1. Petr. 3. » Melius est enim bene facientes ( si velit vo-  
» luntas Dei) pati, quàm malè facientes.

Hæc sententia demonstrat & benefacientes mala hujus seculi pati, non autem, ut plerique æstimant, solos mala facientes.

1. Petr. 4. » Estote itaque prudentes, & vigilate in ora-  
» tionibus. Ante omnia, mutuam in vobismet-  
» ipsis caritatem continuam habentes: quia

2. Petr. 1. » caritas operit multitudinem peccatorum. Vos  
» autem curam omnem subinferentes, ministrare  
» in fide vestra virtutem, in virtute autem scien-  
» tiam, in scientia autem abstinentiam, in absti-  
» nentia autem patientiam, in patientia autem  
» pietatem, in pietate autem amorem fraternita-  
» tis, in amore autem fraternitatis caritatem.

Non habet continuam caritatem qui adversus proximum consurgit ad congregandum. Sed & hoc notandum, quia si caritas operit multitudinem peccatorum, rixæ & contentiones cumulant copiam flagitiorum.

*Ibid.* » Hæc enim omnia si vobiscum adsint & supe-  
» rent, non vacuos nec sine fructu vos consti-  
» tuent in Domini nostri Iesu Christi cognitio-  
» nem. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est,  
» & manu tentans, oblivionem accipiens, pur-

Joan. 3. » gationem veterum suorum delictorum. In hoc  
» manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis  
» qui non est justus, non est de Deo; & qui non  
» diligit fratrem suum: quoniam hæc est annun-  
» tiatio, quam audistis ab initio, ut diligamus al-  
» terutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat,  
» & occidit fratrem suum. Et propter quid occi-

dit eum? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam transfati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus ponere.

Apertè hîc ostendit Apostolus, quia cui hæ virtutes adsunt, non est infructuosus, & vacuus; cui verò non adsunt, cæcus est, & in tenebris ambulans.

Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes; providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Non solum persequi persequentes non de-

cc Rom. 12.

cc Heb. 2.

cc Matth. 19.

cc Rom. 13.

cc

bemus, sed neque maledicere, sed è contrario, ex corde benedicere.

*Matth. 18.*

Væ mundo ab scandalis. Magna cæcitas & profunda miseria! Nondum cognovimus proximum nobis malum fecisse; & nostro malo conamur eum qui fortè innocens est, malefactorum ostendere.

Non solùm flentes facere non debemus; sed è contrario, quoscunque flentes viderimus, flere cum eis & ipsi debemus.

*Rom. 15.*

» Debemus autem nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis place-  
» re. Vnusquisque proximo suo placeat in bonum  
» ad ædificationem. Etenim Christus non sibi

*Psalms. 68.*

» placuit; sed sicut scriptum est; Improperia im-  
» properantium tibi ceciderunt super me. Quæ-  
» cunque enim scripta sunt, ad nostram doctri-  
» nam scripta sunt; ut per patientiam, & conso-  
» lationem scripturarum, spem habeamus.

Non vis ei in bonum placere, contra quem exerto brachio gladium vibrans, aut matarum tenens, stas paratus ad cædendum tam atrociter, ut omni virtute nudatus in terram prosteratur, & se reum fateatur, etiam si non sit.

*Rom. 15.*

» Deus autem patientiæ & solatiij det vobis  
» id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum  
» Christum, ut unanimes uno ore honorificetis  
» Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.  
» Propter quod suscipite invicem, sicut & Chris-  
» tus suscepit vos in honorem Dei.

Vbi contraria sibi homines ore, id est, verbis, opponunt contentionibus, ibi unanimitas animorum esse non potest, ac per hoc à talibus non honorificatur Deus, sed semper inonoratur.

Caritas patiens est, benigna est. Caritas non  
 æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non  
 est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non ir-  
 ritatur, non cogitat malum, non gaudet super  
 iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia  
 suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia su-  
 stinet, caritas nunquam excidit.

1. Cor. 13.

“

“

“

“

“

“

Si urgente caritate Christi congruentes &  
 contemperati esse debemus proximis, pensan-  
 dum est qui surget ad rixas & diffensiones. *Ser-  
 vum certè Domini non oportet litigare, sed man-  
 suetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum  
 modestia corripientem eos qui resistunt.*

2. Tim. 2.

Patiens est, & benigna: quia quos per patien-  
 tiam tolerat, per benignitatem amat. Et si is  
 qui tolerat, nec tamen diligit, non exercet opus  
 caritatis; quantò magis qui nec tolerat. Si ca-  
 ritas non irritat, ad irascendum non concita-  
 tur, neque gaudet super iniquitate; pensan-  
 dum omnino est, quàm longè à caritate sint,  
 qui se adversùs invicem provocantes, pro ter-  
 rena cupiditate configunt. Caritas non excidit:  
 quia semper est in profectu, nunquam autem  
 venit in defectu.

Sive enim mente excedimus, Deo; sive so-  
 brii sumus, vobis. Caritas enim Christi urget  
 nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro om-  
 nibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;  
 & pro omnibus mortuus est; ut & qui vivant,  
 jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mor-  
 tuus est & resurrexit.

2. Cor. 5.

“

“

“

“

“

“

Ij pro quibus Christus mortuus est, non sibi  
 debent vivere, sed Christo. Qui autem Christo  
 vivit, nullo modo vult lædere proximum.

Quapropter quærendum est, ille qui paratur ad lædendum proximum, occidendo, aut cædibus prosterneudo, cui vivit, sibi, an diabolo, cùm certum sit eum Christo non vivere.

*2. Corin. 13.* „ Fratres, gaudete, perfecti estote, exhorta-  
 „ mini, idem sapite, pacem habete; & Deus di-  
 „ lectionis & pacis erit vobiscum. Omnis amari-  
*Ephes. 4.* „ tudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blas-  
 „ phemia tollatur à vobis, cum omni malitia.  
 „ Estote autem invicem benigni, misericordes,  
 „ donantes invicem, sicut & Deus donavit no-  
 „ bis.

Perfectorum est idem, id est, unum, non diversa & adversa sapere, & idcirco pacem habere. Qui autem contraria agunt rixando & litigando, perpendant utrum Deus pacis cum illis sit. Et cùm certum sit Deum non habentem, qui vita est animarum, mortuum esse; proculdubio colligitur mortuorum esse mortificare, proximum velle non vivere.

*Ephes. 5.* „ Estote ergo imitatores Dei, sicut filij carissimi;  
 „ & ambulate in dilectione, sicut Christus  
*Eph. 6.* „ dilexit nos. Non est nobis conluctatio adversus  
 „ carnem & sanguinem, sed adversus principes  
 „ & potestates, adversus mundi rectores tene-  
 „ brarum harum, contra spiritalia nequitiae in  
 „ cœlestibus.

Hæc sententia, regula est Christianorum, & tam aperta, ut quilibet in ea velut in speculo se valeat considerare.

*Philipp. 4.* „ Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque  
 „ pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta,  
 „ quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ,  
 „ si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogi-

rate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audi-  
stis, & vidistis in me, hæc agite; & Deus pacis  
erit vobiscum.

Quicumque vult Deum pacis secum habere,  
templum videlicet ejus esse, ista agat quæ hæc  
sententia docet, ut glorificet & portet Deum in  
corpore suo. Quia qui Deum non portat ad vi-  
tam suam, portabit inimicum velit nolit ad  
mortem suam.

Rogamus vos, fratres, corripite inquietos,  
consolamini pusillanimes, suscipite infirmos,  
patientes estote ad omnes. Videte ne quis ma-  
lum pro malo alicui reddat; sed semper quod  
bonum est sectamini in invicem, & in omnes.  
Semper gaudete. Sine intermissione orate. In  
omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei  
est in Christo Iesu in omnibus vobis.

Et hæc sententia, regula est Christianitatis.  
Sed valde notandum quod jubet hominem  
patientem esse ad omnes, non ad amicos tan-  
tum. Patientia enim maximè ad inimicos est  
necessaria.

Vidi subtus altare animas interfectorum  
propter verbum Dei, & propter testimonium  
quod habebant, & clamabant voce magna di-  
centes: Usquequo Dominus sanctus & verus  
non judicas & vindicas sanguinem nostrum de  
his qui habitant super terram? Et datæ sunt eis  
singulæ stolæ albæ; & dictum est illis ut re-  
quiescerent adhuc modicum tempus, donec  
impleantur conservi eorum, & fratres eorum,  
qui interficiendi sunt, sicut & illi.

Hæc sententia docet tempus vindictæ fide-  
lium non esse in præsentem. Nam si sancti pro fi-

de passi quærunt vindictam de persecutoribus; de quibus utique vindicandi sunt, & non impetrant; quomodo isti, de quibus agimus, quotienscunque irascuntur proximis, & ad contentionem manuum profiliunt, putant sibi Deum famulari, & amarissimis suis motibus deservire.

*Ap: cal. 18.*

» Væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa  
» fortis, quoniam una hora venit iudicium tuum.

Si una hora venturum est iudicium Babylonis, quomodo cives ejus tam frequenter pro se Deum æstimant judicare? Hæc sententia demonstrat occulta esse iudicia Dei, & impenetrabilia. Vnde constat stultam & superbam esse præsumptionem eorum qui putant impenetrabilia iudicia Dei bellis & cædibus liquidò multiplicari.

*Genes. 9.*

» Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. ad imaginem quippe Dei factus est homo.

Hæc prima lex, à Deo data hominibus, prohibet attentissimè humanum sanguinem fundere.

Non omnis qui hominem occiderit, corporaliter occidetur. Sed secundum illud accipiendum est quod Dominus in Evangelio dicit: *Omnis enim qui gladium acceperit, peribit.* Et Apostolus ait: *Quoniam omnis homicida non habet vitam eternam in se manentem.* Quare autem hunc reatum tanta pœna sequatur, hæc causa est, quoniam ad imaginem Dei factus est homo.

Abun-

*Matth. 26.*

*1. 104. 3.*

Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manu eorum. Quare ergo impij vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super eos. Bòs eorum concepit, & non abortivit; vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Hæc sententia indicat temporalem esse malorum felicitatem. Et idcirco errant qui putant singulis hîc retribui quod merentur.

Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas? Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. Absconde eos in pulverem simul, & facies eorum demerge in foveam. Et ego confitebor quòd salvare te possit dextera tua.

Qui conflictibus & congressionibus merita hominum se putant posse invenire, habeant brachium sicut Deus, & in voce simili tonent, circumdent sibi decorem, & in sublime erigantur, sintque gloriosi. & tunc poterunt sibi ipsi esse salvatores; impiorum autem & superborum disperfores, humiliatores, contritores, & in foveam demerfores.

*Psal. 43.* » Non enim in arcu meo confidam, neque gla-  
 » dius meus salvabit me; quia salvasti nos de ho-  
 » stibus nostris, & eos qui oderunt nos confudi-  
 » sti. In Deo laudabimur tota die, & nomen tuum  
 » confitebimur in æternum. Veruntamen tu con-  
 » fudisti & projecisti nos, & non egredieris in  
 » exercitibus nostris. Vertisti terga nostra hosti,  
 » & qui oderunt nos diripuerunt sibi. Dedisti nos  
 » quasi gregem ad vorandum, & in gentibus  
 » dispersisti nos.

Ista sententia insinuat neminem salvum fieri, aut justum vel innocentem demonstrari per armaturam corpoream, ipsum autem Deum non semper in hac vita bonis retribuere merita justitiæ. Vnde & Paulus, qui bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, repositam sibi dicit coronam justitiæ, non receptam. Nam in præsentì quinquies quadragenas una minùs accepit, ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium fecit, & omnia illa pericula quæ ipse enumerat, sustinuit.

*Psal 78.* » Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam,  
 » polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt  
 » Hierusalem in acervum lapidum. Dederunt ca-  
 » davera servorum tuorum escam avium cælo-  
 » rum, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.  
 » Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in  
 » circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret.  
 » Facti sumus opprobrium vicinis nostris, sub-  
 » sannatio & derisio his qui in circuitu nostro  
 » sunt.

Hæc sententia eadem ipsa demonstrat quæ & superior.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, loquitur veritatem in corde suo, qui non est facilis in lingua sua, neque fecit amico suo malum, & opprobrium non sustinuit super vicinum suum. Qui negligit damnum propter amicum suum, justus est; iter autem impiorum decipiet eos. Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Arma, & gladij in via perversi, custos autem animæ suæ longè recedit ab eo. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum; ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.

“ Psal. 23.  
 “ Psal. 14.  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “ Prov. 12.  
 “  
 “ Prov. 16.  
 “  
 “  
 “ Prov. 22.  
 “  
 “  
 “ Prov. 24.  
 “  
 “

Videat bellator fraternus, si sit innocens manibus, mundo corde, & faciat omnia quæ sequens sententia enumerat.

Non solum melior, sed nec bonus vult esse, qui per patientiam non dominatur animo suo. Qui cum proximo decertat propter animal brutum, nec modicum damnum vult negligere propter Deum.

Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui detrahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. Vidi sub sole in loco judicij impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Iustum & impium judicabit Deus, & tempus rei omnis tunc erit. Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & la-

“ Prov. 24.  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “ Eccle. 3.  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “ Eccle. 4.  
 “



» crymas innocentium, & consolari eos nemi-  
 » nem, nec posse resistere eorum violentiæ cun-  
 » ctorum auxilio destitutos.

Non solùm debes non ducere ad mortem, ve-  
 rùm etiam eos qui ducuntur eruere, si non vis  
 ut reddat tibi Dominus secundùm opera tua.

*Psal. 42.*

Quando Dominus inter justum & impium  
 discreverit, tempus omnis rei tunc erit, non  
 modò. quod tempus desiderans Ecclesia, ro-  
 gat Dominum, dicens: *Indica me, Deus, &*  
*discerne causam meam de gente non sancta.*  
 Quam rem si homines saltem justificare valuis-  
 sent, non essent mala quæ sequentes sententiæ  
 enumerant.

*Eccle. 5.*

» Si videris calumnias egenorum, & violenta  
 » judicia, & subverti justitiam in provincia, non  
 » mireris super hoc negotio: quia excelfo alius  
 » excelsior, & super hos quoque eminentiores  
 » sunt alij.

Excelsus quippe super excelsos hæc respicit  
 Deus, qui angelos suos super iudices & Reges  
 terræ præposuit: qui possunt utique prohibere  
 injustitiam, & magis in terra valere quàm  
 quævis hominum potestates. Sed quoniam  
 servat in fine iudicium & consummationem  
 mundi, quando matura seges fuerit, & messor-  
 es venerint, iussurus est ut separetur triticum  
 & lolium tradatur incendio; ideo nunc expe-  
 ctat, & differt sententiam, quandiu ager mundi  
 istius plenius excolatur.

*Eccle. 7.*

» Iustus perit in justitia sua, & impius multo vi-  
 » vit tempore in malitia sua.

Dei in occulto sapientia est & tribulare  
 nunc sanctos ut recipiant mala in vita sua, &

peccatores non visitare pro scelere & quasi ad vindictam reservare; ut & illis possit aeterna bona restituere, & his mala inferre perpetua.

Melius est secundum voluntatem Dei ut justus pereat in justitia sua, quam ut impium occidat propter malitiam illius. Et quia ita fit, ideo provenit quod sequens sententia dicit.

Sunt justi quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum; & sunt impij qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.

Inter ceteras vanitates quae in mundo vario feruntur eventu, etiam hoc deprehendi, quod justis ea frequenter eveniunt, quae impiis evenire debuerant, & impij tam feliciter in hoc mundo degunt, ut eos putes esse justissimos.

Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro servantur incerta, eò quod universa aequè eveniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator; ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia quae sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.

Si omnia futuro servantur incerta, mira fatuitas quorundam, qui certaminibus execrandis putant se de incertis facere certa.

Verti me ad aliud; vidique sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortiū bellum, nec sapientum panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumq; in omnibus. Nescit homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

Rom. 2.

Hæc sententia non denegat providentiam sed docet exitus rerum hominibus esse incertos. Epistola ad Romanos huic loco congruit: quia non volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei fit. Quod autem ait, *Non est sapientibus panis*, multorum cotidie probatur exemplo, qui cum sapientissimi sint, necessariis indigent, & eruditum virum latere in obscuro, persecutiones pati, & non solum in populum gratiam non habere, sed inopia & egestate tabescere. Hæc autem fiunt, quia incerto statu fluunt omnia, & non est in præsentis meritorum retributio, sed in futuro.

Eccle. 10.

Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis; positum stultum in dignitate sublimi, & divites cadere deorsum. Vidi servos in equis, & principes ambulantes quasi servos super terram.

Et hanc ergo iniquitatem se in seculo perspexisse commemorat quod videatur iniustum Dei esse iudicium, & sive per ignorantiam, sive absque ejus fieri voluntate, ut vel in mundi potestatibus, vel in Ecclesiæ principatu, sæpe hi qui divites in sermone sunt atque sapientia, divites etiam in operibus bonis, ignobiles sedeant, & imprudens quisque in Ecclesia teneat principatum. hoc autem fieri à vultu ejus qui in seculo habet potestatem, dum potentes quosque & doctos premat, nec eos in populis apparere permittat; illos verò quos scit esse imprudentes, in Ecclesiis faciat esse majores, ut cæci à cæcis ducantur in foveam.

Hab. 1.

Quare ostendisti mihi iniquitatem, & labo-

rem, videre prædam, & iniustitiam contra me? «  
 & factum est iudicium & contradictio poten- «  
 tior. Propter hoc lacerata est lex, & non perve- «  
 nit usque ad finem iudicium: quia impius præ- «  
 valet adversus justum, propterea egreditur «  
 iudicium perversum. «

Hæc loquuntur nescientes iudicia Dei inve-  
 stigabilia, & profundum divitiarum sapientiæ &  
 scientiæ ejus, quòd non ita videat Deus, ut vi-  
 det homo. Homo tantum præsentia respicit,  
 Deus futura & æterna cognoscit. Communis ad  
 Deum querela sanctorum est, quare contra eos  
 injustum iudicium fiat, & innoxium in persecu-  
 tionibus sanguinem fundant; ac si quando ante  
 tribunal steterint iudicum secularium, iudex  
 acceptis muneribus condemnet infontem, &  
 reum liberet, quod quidem non solum de iudi-  
 cibus seculi, sed interdum de Ecclesiæ quoque  
 principibus dici potest, quòd propter munera  
 lacerent legem, & non perducant usque ad fi-  
 nem iudicium, & impius prævaleat adversus  
 justum, & magis in iudicio peccatum divitis quàm  
 pauperis veritas defendatur, unde querimonia  
 est iudicium exire perversum. Non debemus su-  
 per hac rerum inæquitate turbari, videntes &  
 in principio mundi ab impio Cain interfectum  
 Abel justum, & postea exulante Iacob regnare  
 in domo patris Esau. Ægyptij luto & latere af-  
 fligunt filios Israël.

Quare non respicis super iniqua agentes, & «<sup>Hab. 1.</sup>  
 races devorante impio justiore se? Et facies «  
 homines quasi pisces maris, & quasi reptile non «  
 habens principem. «

Dominus noster sciens clementiæ suæ pon-

dera atque menfuras , interdum non exaudit clamantem , ut eum probet , & magis provocet ad rogandum , & quasi igne excoctum , iuftiorem & puriorem faciat. Quod intelligens Apoftolus , *secundum id quod misericordiam consecutus à Domino*, ait, *non defcimus*; & benedicit Deum in omni tempore , & fcit quia qui perseveraverit ufque in finem , hic falvus erit.

2. Cor. 4.

Matth. 10.  
& 24.

Mich. 4.

„ De Sion egredietur lex , & verbum Domini de Hierufalem , & iudicabit inter populos multos , & corripiet gentes fortes ufque in longinquum , & conflabunt gladios fuos in vomeres , & haltas fuas in ligones , non fumet gens adversus gentem gladium , & non difcent ultra belligerare. Venite & videte opera Domini , quæ pofuit prodigia fuper terram , auferens bella ufque ad finem terræ. Arcum conteret , & confringet arma , & fcuta comburet igni.

Pfal. 45.

Heu , proh dolor ! jam in multis gentibus factum eft , ut bellandi ftudio ceffante , agriculturæ operam dent , propter quam etiam arma in utenfilia verfa funt ; & adhuc Burgundionibus neceffe eft , propter affidua domestica bella , ut falces , ligones , ac vomeres conflentur in gladios.

Pfal. 45.  
& 72.

„ Vacate & videte quoniam ego fum Deus. Mei autem penè vacillaverunt pedes , penè effusi funt gressus mei. Quia æmulatus fum contra iniquos , pacem peccatorum videns , quod non recogitaverint de morte fua , & firmata funt vestibula eorum. In labore hominum non funt , & cum hominibus non flagellabuntur. Idcirco nutriti funt ad superbiam , circumdederunt iniquitatem fibi , procefferunt à pinguedine oculi

eorum, transferunt cogitationes cordis, inrife-  
runt, & locuti sunt in malitia, calumniam de  
excelso loquentes.

Quæ & ista sententia dicit, etiam corporali-  
ter ex parte facta fuissent, si Burgundiones ad-  
quievissent.





# INDEX.

## A

**A**BBATES taxantur  
qui abutuntur re-  
bus ecclesiasticis.

298

Abraham fuit Christia-  
nus. 188

Absolutio discedendi. 99

Acephali hæretici. 37

Adalardus Abbas, magnæ  
vir auctoritatis in aula  
Ludovici Pij. 98

269. 272

Adoptio est eorum qui ex  
aliena familia sunt. 26

Adoratio imaginum im-  
pia. 222. & seqq.

Adulter non quærit fru-  
ctum prolis, sed ut im-  
pleat libidinem. 217

Adulterium est, aliquem  
hominem amare præ  
Christo. 232

Æquitas, non cædibus, sed  
sapientia & misericor-  
dia, componenda est.

304

Afri genus ducunt ex A-  
braham. 90

Agareni, id est, Sarrace-  
ni. 90

Agobardi modestia & pu-

dor, sive, ut ille loqui-  
tur, timiditas. 98. &  
seq. 107. III. 220. 269.  
& seq. 273

Agobardus arguitur, quod  
sacrarum litterarum in-  
terpretes dixerit igna-  
ros fuisse artis gram-  
maticæ. 171. & seqq.  
Persecutionem patitur  
propter Iudæos 60. Ejus  
Capitula adversus Iu-  
dæos. 63

Agobardi tempora pessima  
& exulceratissima.  
136. & seq.

Alexandrinorum festina-  
ta pietas commendatur.  
248

Altare super sanctum cor-  
pus martyris ad Dei ho-  
norem cultumque con-  
structum. 237

Amalachitæ genus ducunt  
ex Abraham. 90

Ambrosius Episcopus Me-  
diolanensis laudatur.  
252. Generose & excel-  
se mentis facinus ab eo  
peractum in causa sy-  
nagogæ Iudæorum &  
Luci Valentinianorum  
incensu narratur. 68

I N D E X.

- Amor corporearum rerum, etiam bonarum, nocet ad contemplanda spiritalia. 242
- Ananiæ uxorîsq; ejus Saphiræ punitio proponitur his qui illicitè utuntur rebus ecclesiasticis. 293. & seqq.
- Angeli nolunt adorari. 227
- Angeli amentur & honorentur, caritate, non seruitute. 264. Pennatos pingi solitos patet ex Agobardo. 266. Angelos Deus præposuit super judices & Reges terræ. 324
- Anima hominis, non est pars divinæ substantiæ vel naturæ. 182. Eam ad corpus pervenire, quomodo intelligendum. 181
- Animæ humanæ nullus dominus, nisi Deus. 100. Idem est animarum vita. 318
- Animæ virginitas, fides incorrupta. 5. integra fides, solida spes, sincera caritas. 233
- Animus corpore melior. 244. 310
- Animorum unanimitas esse non potest in contentionibus. 316
- Antichristus, caput omnium iniquorum. 60. Se dicet esse Christum; Christum autem vocabit impostorem. 88
- Anthropomorphitarū heresis. 265
- Apollinaris Episcopus Valentinus laudatur. 70
- Apostoli, magistri mundi. 108. Ecclesiæ magistri, arietes gregis. 263.
- Abstinebant à conviviis Iudæorum. 86
- Apostolorum imagines ob amorem tantum & recordationem expressæ ab antiquis. 248
- Aquæ calidæ judicium. 302. 306
- Araboth, cælum in quo Deus residet secundum Iudæos. 76
- Arelas, Galliarum civitas. 65
- Armatura corporea neminem justum aut innocentem demonstrare potest. 322
- Asinus molinus. 118
- Attriniacensis conventus. 269
- Augustini opera contra Pelagianistas. 171
- Avitus Episcopus Viennensis laudatur. 70. 120. Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator. 55. Sigismundum Regem Burgundionum ad fidem catholicam convertit. 120. Detestatur judicium quod vocabant Dei, id est, monomachiã. *Ibid.* & 306. Dia-

I N D E X.

- logi ejus cum Gundobado Burgundionum Rege memorantur. 120. 235. Ejus liber de incarnatione Salvatoris. 52
- Aura levatitia. 145. *& sequentibus.*
- Azarias sacerdos laudatur, quòd Oziam Regem increpaverit sacrificare præsumentem. 132.
- B
- B**aalim apud Hebræos idola significat, & est pluralis numeri. 245
- Baptismus renovat interiorem hominem. 195. Rectè confertur etiam à malis. 139. *& seqq.*
- Baptismus corporalis non est necessarius martyribus. 187
- Baptizari possunt servi, etiam in vitis dominis. 195
- Barnabas & Paulus à se remonent immolationem victimarum. 228
- Bartholomæus Episcopus Narbonensis. 197
- Beda Anglorum gentis homo laudatur. 250
- Bella domestica damnantur. 301. 304
- Bella privata vehementer contraria sunt simplicitati & pietati Christianæ. 115
- Bella publica sunt licita. 305
- Bellator fraternus. 323
- Beneficiales. 135
- Beneventani. 164. Eorum Dux Grimaldus. 163
- Bernardus Episcopus Viennensis. 66. 122
- Bertmundus Comes Lugdunensis. 209
- Bethsaïda. 89
- Boni à malis interficiuntur. 305
- Bonis non semper in hac vita retribuuntur merita justitiæ. 322. 324. 327
- Breviculum. 192
- Burgundiones. 328. *& seqq.* vocati Gundobadi. III. 117
- C
- C**æsarea Philippi. 248
- Cæsarius Episcopus Arelatensis. 71
- Canones servari debent illibati. 271
- Canones Gallicani respuuntur à quibusdam, quòd eos neoterici Romani non commendaverint, cum antiqui eos religiosè venerati sint. 119. & quòd in eorum constitutione non intere fuerint Legati Romani, vel Imperatoris. 288
- Canones sacri. 294
- Canonica instituta perpetua vigeant firmitate. 105
- Canonicum. 162. *& seqq.*
- Capharnaum. 89

I N D E X.

- Capitula in Attinia coon-  
stituta. 269
- Capitularia sanctionum.  
61
- Caritas commendatur. 114  
Ejus descriptio. 317
- Caritatem continuam non  
habet qui adversus pro-  
ximum suum consurgit  
ad congregiendum. 314
- Carri pulvere caricati.  
164.
- Cathedra Iacobi Apostoli  
apud Hierosolyma con-  
servatur usque in ho-  
diernum diem. 249
- Causidici. 208
- Cerinthi hærefes. 74
- Certamina singularia ve-  
hementer contraria sunt  
simplicitati & pietati  
Christianæ. 115. Ambi-  
guus eorum exitus. 121
- Chalcedonense Concilium.  
119
- CHRISTVS, Veritas.  
107. Verus Dei filius,  
non adoptivus. 12. *Et se-  
quentibus.* Adoptavit  
humanam naturam. 54.  
Eam tamen assumens,  
Deus esse non desit.  
167. Ad quid de cælo  
venit. 219. Solus me-  
diator inter Deum &  
homines. 226. Dei &  
hominum sequester. 191.  
Apostolus & Pontifex.  
37. *Et seq.* Sumus Pastor.  
220. Pastor pastorum.  
219. Comendat agnos &  
oves B. Petro. 212. 220.
- Caput Ecclesiæ. 47. 53.  
Vendentes ejecit de tē-  
plo. 282. Sponsus Ec-  
clesiæ. 103. 211. Nam  
Christus & Ecclesia est  
una persona. 48. Ec-  
clesiæ suæ formam &  
institutionem præmisit  
factis & dictis. 286
- Christum non fuisse antè  
quàm nasceretur, aie-  
bat Fredegisus. 183. *Et  
seqq.* Deliria Iudæo-  
rum de Christo. 76. A-  
liquem hominem ama-  
re præ Christo, adulte-  
rium est. 232. Christus  
humilis fuit, sed tamen  
errasse se non cognovit.  
166. Habuit thesauros  
in oculis. 286
- Christi nomen à chrisma-  
te est. 238
- Christiani omnes, fratres  
sunt. 109. 111. Omnes  
sunt unus Christus. 111.  
*Et seq.* Omnes simul  
sunt templum Dei, &  
singuli templa. 225. Na-  
zarenì vocantur à Iu-  
dæis. 63. Domestici fi-  
dei. 318
- Christianorum religio non  
est novella. 190. Fue-  
runt enim Christiani et-  
iam sub lege veteri. 185
- Christiana pecora, id est,  
pecora à Iudæis repu-  
diata tanquam immun-  
da, quæ ob hoc ipsum  
venduntur Christianis.  
62

I N D E X.

- |                                                                                                                                                                                                                                       |                                                                                                    |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Civitas Dei, & civitas diaboli. 112                                                                                                                                                                                                   | Conflictus fraterni contrarij sunt reconciliationi generis humani ac reconciliatori Christo. 301   |
| Clementis Episcopi Romani libri, apocryphi. 85                                                                                                                                                                                        | Consecrata Deo debent cum magna reverentia custodiri. 276, 296                                     |
| Clerici in contemptu venerant avo Agobardi. 122. Eis vetitum interesse convivii Iudaeorum. 70                                                                                                                                         | Consiliatores regij. 64                                                                            |
| Clericiones. 135                                                                                                                                                                                                                      | Constantinus Magnus Imp. adoravit imagines sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. 252                |
| Cœlicolæ, unde dicti. 223                                                                                                                                                                                                             | Cordoba, civitas Hispaniæ. 65                                                                      |
| Coloniæ, cur sic nuncupata. 223                                                                                                                                                                                                       | Corozaim. 89                                                                                       |
| Colonorum varia genera. 223                                                                                                                                                                                                           | Corporum mortuorum trãslatio provisa à morientibus. 236                                            |
| Comestiones & ebrietates diabolus introducit sub nomine caritatis. 265                                                                                                                                                                | Crucis dominicæ signum ubiq; locatum olim ab Alexandrinis recenter ad fidem Christi conversis. 248 |
| Communio fraternitatis. 293                                                                                                                                                                                                           | Crucis judicium. 302                                                                               |
| Compendium Palatium. 272                                                                                                                                                                                                              | Cultus Deo debitus, Latine significari non potest uno verbo. 223                                   |
| Conciliorum generalium magna reverentia & auctoritas. 119                                                                                                                                                                             | Cyprianus, martyr beatus. 208                                                                      |
| Concilia regionalia & provincialia cedunt auctoritati Conciliorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum & receptorum; sed tamen & ipsa sunt magnæ auctoritatis in iis quæ à generalibus illis definita non sunt. 119, 288 | Cyrillus Episcopus Alexandrinus. 6. 16                                                             |
| Concilia bina per annos singulos fiant. 289                                                                                                                                                                                           | D                                                                                                  |
| Confectio corporis ac sanguinis Christi. 139                                                                                                                                                                                          | <b>D</b> AVIDIS Regis humilitas prædicatur. 168                                                    |
|                                                                                                                                                                                                                                       | Decimam aliqui nunquam sponte donant sacerdotibus. 162                                             |

I N D E X.

- Decimæ dandæ sunt. 290.  
 Votæ enim sunt ab ini-  
 tio generis humani, &  
 redditæ sacerdotibus.  
 275
- Deus quid sit secundum  
 Lucilium Balbum. 256.  
 Deus est Veritas. 182.  
 & caritas. 309. Solus  
 verè natura bonus. 133.  
 Solus colendus. 229.  
 246. & seq. Ei debem-  
 us honorem & timo-  
 rem. 290. In eo solo  
 spem nostræ beatitudi-  
 nis collocare debemus.  
 238. 264. Vult autem  
 omnes homines salvos  
 fieri. 194. ideòque va-  
 riè flagellat homines ad  
 eruditionem & conver-  
 sionem. 198
- Dei providentia aliquan-  
 do absolvit innocentes,  
 & damnat noxios. 115.  
 Ejus iudicium frequen-  
 ter occultum, nunquam  
 tamen injustum. 118. 164.  
 195. 201. 305. Dei iudi-  
 cia incomprehensibilia.  
 306. & impenetrabilia.  
 320. 326. Servat in fine  
 iudicium & consumma-  
 tionem mundi. 324. Ni-  
 hil in mundo fit, nisi  
 Deo dispensante aut  
 permittente. 305
- Deus habitat in omnibus  
 Christianis. 225
- Deo omnia sunt præsentia  
 207. 271
- Dei manum effugere, im-  
 possibile est. 152
- Dei filius nemo est, nisi  
 qui Deum imitatur. 309
- Deos Romani per mul-  
 tum ævi coluerunt sine  
 simulacro. 256
- Deorum simulacra qui pri-  
 mi posuerunt, ideo fe-  
 cerunt, ut populis me-  
 rum adimerent, erro-  
 remque adderent. *Ibid.*
- Deuterofes Pharisæorum.  
 78
- Diabolus, princeps & ca-  
 put omnium malorum.  
 159. Semper nocendi  
 cupidus est. 202. 205.  
 Nemini tamen nocere  
 potest, nisi permittente  
 Deo. 150. 199
- Discipuli Domini cognos-  
 cuntur dilectione, Dis-  
 cipuli verò diaboli co-  
 gnoscuntur rixis & con-  
 tentionibus. 312
- Dissensio impellit mun-  
 dum ad perfidiam. *Ibid.*
- Domesticus fidei, id est,  
 Christianus. 311
- Duella privata vehemen-  
 ter contraria sunt sim-  
 plicitati Christianæ. 115.  
 Ambiguus & incertus  
 eorum exitus. 121
- E
- E** Aof, sive Eaor, Epif-  
 copus. 66
- Ebrietates & comessatio-  
 nes introducit diabolus  
 sub nomine caritatis.  
 265

I N D E X.

- Ecclesia est domus veri David, id est, Christi. 93. Domus Dei. 281. Virgo appellata est. 233. Vni viro Christo desponsata. 103. 211. Ecclesia & Christus, id est, sponsus & sponsa, quomodo tractandi à pastoribus. 218. Ecclesia & Christus una persona. 48. & seqq. Ecclesia in annis prioribus robusta, nunc languida. 137. Portæ inferi prævalere non possunt adversus eam. 106. Ecclesiæ injuria, Dei injuria est. 281. Ecclesiam qui non audierit, habendus est sicut Ethnicus & Publicanus. 289
- Ecclesiæ diversa sunt membra. 233
- Ecclesiæ ædificatæ sunt ad laudandum Deum, ad deprecandum, ad sacrificandum. 283
- Ecclesia ditata est, ut alere possit prædicatores suos, & choros ministrorum, turbasque pauperum, ac multitudinem confluentium peregrinorum. 294
- Ecclesiæ nutrices, id est, parochiales. 136
- Ecclesiæ cum possessionibus venundantur. 282
- Ecclesiasticarum rerum dispensatio. 273. Quadrifariâ distributæ. 288.
294. Non sunt utendæ ad luxum, nec ad libidinem. 297. Sunt res pauperum. 294
- Ecclesiastici thesauri intacti esse debent & sancti. 287
- Episcopi debent esse docti. 2. Et tamen sæpe fit, ut imperiti teneant in Ecclesia principatum, interim dum viri docti & sapientes sedent ignobiles. 326. Tenentur circumire suas parochias. 102. Non debent esse accusatores. 216. Quæ Episcopi in synodis statuunt consonanter sacris scripturis, pro lege habenda sunt. 289
- Episcopi taxantur qui abutuntur rebus ecclesiasticis. 298. & qui injustum judicium judicant. 327
- Error hominû latere nescit. 52
- Eruditus vir laret ut plurimum in obscuro, inopiæque & egestate tabescit. 326
- Evrardus, Missus Dominicus. 60. & seq. Iudæorum magister. 105
- Eutychetis error. 5
- Expositores divinorû voluminum parum solliciti fuere olim de regulis grammaticæ. 172. & seq. Legendi non sunt cû credendi necessitate, sed

I N D E X.

sed cum iudicandi libertate. 176  
 Exustionum stigmata in corporibus hominū apparentia. 198

F

**F** Alangus. 190  
 Fames sub Claudio Imperatore. 87  
 Felicitas malorū est temporalis. 321  
 Felix Episcopus Vrgellensis. 2. *Et sequentibus.*  
 Femina à Iudaismo ad Christianismum conversa, graves persecutiones ob hoc ipsum patitur à Iudæis. 192  
 Ferri calidi iudicium. 116. 302. 306.  
 Fidentius Doctor catholicus. 57  
 Fidei veritas quonam modo inquirenda. 6. Non valet ad salutem hominis sine pace. 310. Non est metienda ex vita hominum, sed ex fide probanda est vita. 4. Fidei domesticus. 311  
 Fides debetur Principi, sub Deo. 210  
 Fideles qui verè sunt, membra Christi sunt. 122. Sunt sub capite summo unus sacerdos. 123  
 S. Firmini corpus. 198  
 Fiscus. 288  
 Flere debemus cum flentibus. 316

Florus Lugdunensis. 197  
 Francorum Lex. 113. 121  
 Fraternalis congressio. 307  
 Fraternalitatis communio. 293  
 Fredegifus Abbas. 165  
 Fredericus, Missus Dominicus. 60  
 Funera antiquorum officiosa pietate curata sunt. 236  
 Furtorum & furum tria genera. 287  
 Furum nomen generale est. *Ibid.*

G

**G** Allicani canones respuuntur à quibusdam, quod eos neoterici Romani non commendaverint, cum antiqui eos religiosè venerati sint. 119. vel eò quod Legati Romani, seu Imperatoris, in eorū constitutione non interfuerint. 288  
 Garizim interpretatur divisio. 95  
 Gedeon, virorum fortissimus. 168. 244  
 Gericus, Missus Dominicus. 60  
 Gervasij & Protasij martyrum revelatio facta sancto Ambrosio Episcopo Mediolanensi. 253  
 Gesta synodalia pingebantur olim in Ecclesiis, ad memoriam rei

Y

I N D E X.

- gestæ, & erroris pro-  
frati. 265
- Gloriæ divinæ, angelicæ,  
& humanæ modus est.  
235
- Gotthi, pagani & hære-  
tici simul. 115
- Grandinem sine pluvia  
nemo unquam vidit. 153
- Grandines & tonitrua vi  
hominum fieri, stultū.  
145. & seqq.
- Gregorius Episcopus Lin-  
gonensis laudatur. 70
- Gregorius Magnus Papa  
arguit Episcopum Fo-  
rojuliensem, quòd ima-  
gines Apostolorum de  
sua basilica eraserit ob  
superstitionem vulgi eas  
contra regulam fidei  
adorantis. 253
- Grimaldus Dux Beneven-  
torum. 163
- Gundobada Lex. 113. 117.  
Non est lex, sed nex.  
118
- Gundobadus Rex, homo  
hæreticus, auctor legis  
Gundobadæ. 113. 119.  
235. Ejus dialogi cum  
Avito Episcopo Vien-  
nensi. 120. 235. 306
- Gundobadus, id est, Bur-  
gundio. 111. 117.
- H
- H**æmorrhøissa à Chri-  
sto sanata, erat ci-  
vis Cæsareæ Phi-  
lippi. 248
- Hæretici recedunt à veri-  
domo David, id est,  
Christi. 136
- Hæretici alij non fuerunt  
Apostolorum tempore,  
nisi ex Iudæis & Sama-  
ritanis. 74
- Hebal interpretatur vora-  
go vetus. 96
- Helisacharus Abbas, vir  
magnæ dignationis apud  
Ludovicum Pium Imp.  
98. 272
- Hieronymus Presbyter &  
Doctor. 178. Iudæos  
intrinsecus & in cute  
novit. 63. Ejus Transla-  
tio laudatur. 173
- Hierusalem subjecta Sar-  
racenis. 115
- Hilarius Episcopus Picta-  
viensis Iudæorum & he-  
reticorū devitavit pro-  
phana consortia. 67
- Hildigitus Lugdunensis. 197
- Hilduinus sacri Palatii  
antistes. 192
- Hillel Iudæus, vir erudi-  
tissimus, ex cujus scho-  
la multi magni viri pro-  
dierunt. 78
- Homo interior ad imagi-  
nem Dei conditus. 195.  
260. 262. 320
- Homo religionem mentis  
debet soli Deo. 100
- Homines vocati dij. 234
- Homines sancti respuunt  
adorationem. 227
- Homines omnes Deus  
vult salvos fieri. 194
- Homines nihil mali agere  
possunt absque permisso  
Dei. 151

I N D E X.

- Honorem & timorem debemus Deo. 290
- Honorati Principis. 269.  
273
- Humana natura adoptata est à Christo. 54
- Humani errores summopere vitandi. 273
- Humanū sanguinem fundi prohibet prima lex data hominibus. 320
- Humilis qui verè est, abjecta de se sentit; & qui abjecta de se sentit, errasse se non dubitat. 166.  
169
- Hypocritæ notantur. 216
- I
- I**acobus à Christo & ab Apostolis electus est Episcopus in Hierosolymitana sede. 249
- Ieroboam peccare fecit Israël. 275
- Imagines Dei & sanctorum non sunt adorandæ, nec colendæ. 222.  
& seqq. Nam si imago ulla esset adoranda vel colenda, creatoris potius esset, quàm creaturæ. 262. Eas appellari sanctas indignatur Agobardus. 244. 267.
- Imagines sanctorū omni genere conterendæ sunt, & usque ad pulverem eradendæ. 254.
- Imagines habuerunt antiqui Christiani; sed causa historiæ, ad recordandum, non ad colendum. 265
- Imperatorum & Consulorum conjuges & soboles ad Christi fidē convertuntur. 193
- Impietas in magnam securitatem venerat ævo Agobardi. 208
- Indiculus ex nomine Regis. 61
- Indiculj. 192
- Infirmi in Ecclesia sanandi, sani verò custodiendi. 219.
- Innocētia nec illic ubi defenditur reservatur. 209
- Innocentes ut plurimum vincuntur à noxijs. 114
- Interpretes & expositores divinorum voluminum parū solliciti fuere antiquitus de regulis artis grammaticæ. 172. & seqq.
- Interpretes sanctæ Scripturæ non sunt omnes equalis auctoritatis. 175
- Ioannis Apostoli historia discedētis à balneo propter Cerinthum hæreticum narratur. 74.
- Ioannes Episcopus Antiochenus dissidet cum Cyrillo Alexandrino. 6
- Ioculares. 299
- Ionadab posteritas benedicitur à Domino. 291
- Iosaphat Rex offendit Deum, quòd impiis & Deum odientibus auxilium præbuerit. 23

I N D E X.

- Judæ ficto discipulo, & vero proditori, magnam virtutum gratiam Christus contrulit. 125. 141. Custodiebat loculos Domini. 286
- Judæi. 60. *& seqq.* Se Patriarcharū progeniem, justorum genus, ac Prophetarum sobolem esse gloriantur. 103. Pejores sunt omnibus incredulis. 63. 75. Vocati vasa diaboli. 66. filij diaboli. 103. Antichristi. 88. Eorum errores & deliramenta recēsentur. 75. *& seqq.* Olim abstinerunt à cibo & potu infidelium. 94. Eorum convivia & confortia vitanda. 86. 103. *& seq.* Pro eorum salute publice supplicatur ab Ecclesia in diebus Passionis Dominicæ. 197
- Judicium Dei. 120. *& seq.* 302
- Judicia inter homines necessaria sunt. 303. Eorum integritas necessaria Regnis & Gentibus. 117
- Judiciorum & rerum veritas quærenda est à Deo. 306
- Jurejurādo finiuntur controversiæ, ubi testes defunt. 302
- K
- K**arolus Magnus Imperator dissidet cū Grimaldo duce Beneventorum. 163
- L
- L**æici res Ecclesiarum possidentes, & in pravos usus convertentes, taxantur. 229. Non possunt esse dispensatores sacrarū rerum. 288. Eas ergo tractant & in usus proprios expendant contra vetitum & contra canones. 270
- Langobardi. 109. 115
- Latria, quid. 223
- Lex Francorum. 113. 121
- Lex Gundobada. 113. 117. Non est lex, sed nex. 118
- Legum contemptus exagitur. 208. *& seq.*
- Legum diversitas obsistit unitati Christianæ. 111. *& seq.*
- Leprosi cur mittantur ad sacerdotes, non autem ad medicos. 132
- Levætitia auræ. 145. 158. *& seq.* 162
- Liber Sacramentorum. 263
- Licium videtur quod publicum est, id est, quod vulgò fit. 209
- Litteræ XXII. apud Hebræos. 128

I N D E X.

Loculi Christi in quos  
usus expēdebantur. 286.

*& seq.*

Lucilius Balbus. 254

Lucus Valentinianorum  
incensus. 67

Ludovicus Pius Imp. 1. 59.  
105. 193. 269

Lugdunum. 60. 62

Lugdunensis pagus. 61

M

**M** Adianitæ, genus A-  
brahæ. 90

Magistri, id est, magistra-  
tus. 301. 306

Magonia, ficta regio à  
tempestariis. 146

Maledictiones infidelibus  
Iudæis impositæ. 95

Mali à bonis nunquam in-  
terficiuntur, nisi in bel-  
lis publicis & legalibus  
judicijs. 305

Malorum felicitas est tem-  
poralis. 321

Mancipia Iudæorum an  
baptizari possint aut de-  
beant invitis dominis.  
99. 192

Martyres absque baptif-  
mate corporali ad vi-  
tam æternam transie-  
runt. 187. Non occiden-  
do, sed moriendo, sub-  
diderunt in fide mun-  
dum Christo. 114. Di-  
ligendi sunt & veneran-  
di tanquam discipuli  
Domini. 246. Eis ta-  
men templa, sacerdotia,

sacra, & sacrificia con-  
stituere non oportet.  
237. 263. Nam eorum  
memorias ob hoc tan-  
tùm celebrare debemus,  
ut posteritas ad eorum  
imitationem hinc exci-  
teretur. 247. Et eorum  
reliquias ea mente ho-  
norare debemus, ut eum  
cujus sunt martyres a-  
doremus. 235

Matarus, teli genus.

316

Matfredus, vir præstantis-  
simus, magnæque apud  
Ludovicum Pium au-  
thoritatis, laudatur. 207  
Dei minister, & adiutor  
Imperatoris. 210

Memoria martyrum. 263.  
267

Memorias sanctorum am-  
bitiosè honorare ob ca-  
ptandam gloriam popu-  
larem, reprehensibile  
est. 245

Mendacium nullam habet  
essentiam. 148

Mens superba cum vita  
laudabili, malum. 4

Mercatum publicum. 113

Mercata olim in sabbatis  
solebant fieri. 64

Minister Imperatoris &  
Imperij. 207

Miracula in nostra tempò-  
ra durare permessa non  
sunt, ne eorum consue-  
tudine frigeret genus  
humanum. 257

Miracula patrantur etiam

I N D E X.

- ab improbis sacerdotibus, 124
- Miracula Christianorum à diabolo fieri garriunt Iudæi, 77
- Missarum solemnia, 115. celebratio, 266
- Missi Domini, 60. *seq.*
- Missi de Palatio, 196
- Molinus asinus, 118
- Mulierculæ superstitiosæ notantur, quæ fiduciam suam collocant in parvis evangeliiis, in ligno crucis, & similibus, 259
- Mundi juventa & senectus 137
- Munera aut perjuria finem rebus imponunt apud iudices, 117
- N
- N** Antuadenses monachi inter se dissident, 62
- Nazareni, id est, Christiani, 63
- Nero Imperator persecutionem movit adversum Christianos, 194.
- Ejus domestici & aulae ministri ad fidem Christi conversi, 193
- Nestorij hæresis, 5.8.42.
- Nibradius Episcopus Narbonensis laudatur, 102, 105.
- Nomen novum in Apocalypsi, & in Isaïa, 190
- Nutrices Ecclesiæ, id est, parrochiales, 136
- O
- O** blationes quæ fiunt in Ecclesia, sunt res pauperum, neque inventæ sunt ad alendam quorundam cupiditatem & avaritiam, 206
- Oeconomus in unaquaque Ecclesia de proprio Eligendus, qui rerum ecclesiasticarum curam suscipiat, 288
- Officia publica deseruntur ab iis qui Presbyteros domesticos habent, 135
- Orandum est in afflictionibus, 156
- Orgelletana sedes, cujus olim Episcopus Felix, 2
- Ovis Dei relinquens pastorem, aberrans à via qua præcedit aries, hæret in sentibus, devoratur à lupis, 263
- Ovis pia semper quærit bonum pastorem, 219.
- Oves sequuntur summè bonum pastorem, 311
- Oves & agni commendantur beato Petro à Christo, 212. 210
- Oza punitur, qui arcam Domini sublevare præsumperat, 130. 201
- Ozias Rex lepra percussus ob contemptum sacerdotum & usurpationem sacri ministerij, 131. 201

I N D E X.

P

- P** Agenses. 135  
 Palatinorum uxores. 64  
 Panis vocabulo comprehenditur quicquid commedi potest. 292  
 Paraclerus cur venire non potuit nisi post discessum Christi. 243  
 Pastor malus tolerandus est ab ovibus ut mercenarius sedens in cathedra Moyfi. 219  
 Pastores mali quid agant in Ecclesia. 219  
 Pastorum & rectorum nomine intelligit Agobardus etiam Abbates, Prepositos, atque Presbyteros. 220  
 Patientia maximè ad inimicos est necessaria. 319  
 Patres sancti custodiunt statum Ecclesiæ. 229  
 Patriarchæ veteris testamenti, dicti sunt Christi. 186. An fuerint Christiani. 183  
 Paulianista. 15  
 Paulinus Episcopus Nolanus quendam Presbyterum objurgat, quod suam uxorisque imaginem ab eo petierit. 253  
 Paulus Apostolus nemini gravis fuit in prædicatione Evangelij. 82. *Et seq.* Difertior invenitur in Hebræica lingua, quam in Græca. 180  
 Paulus & Barnabas à se removent immolationem victimarum. 228  
 Paulus Samosatenus. 183  
 Pauperum cura commendatur. 206. Eorum apud veteres Christianos magna cura. 294. Fame necantur, dum laici convivium ex rebus ecclesiasticis celebrant, histrionibusque ac mimos magno conducunt. 299. *Et seq.*  
 Peccatum apud Hebræos est generis masculini, apud Græcos feminini, apud Latinos autè neutrius. 173  
 Peccatur tribus modis, cogitatione, locutione, & actione. 308  
 Pecora occisionis, id est, electi. 305  
 Peculatus est sacrilegium. 287  
 Pelagij dogma reprehenditur. 173  
 Percussiones in corporibus. 198  
 Perfectorum est unum sapere, non autem diversa & adversa. 318  
 Perjuria aut munera finem rebus imponunt apud judices. 117  
 Petra ecclesiasticæ observationis. 105  
 Petro nomen inditum à Christo propter duritiam & hebetudinem sensus garrunt Judæi.

I N D E X.

76. Qua auctoritate  
eductus è carcere. 77.
- Prudenter vitat convi-  
via Gentilium. 84. Ei  
Christus commendat o-  
ves & agnos suos. 212.  
220
- B. Petri Basilica uni Deo  
vero & vivo dicata est.  
259
- Photinianus. 15
- Picturam aspiciamus qua-  
si picturam vita, sensu,  
& ratione carentem.  
265
- Picturas in Ecclesia fieri  
non debere definierunt  
orthodoxi patres. 266
- Pilatus asseritur præcepisse  
Iudæis ut Christum  
adorarent. 77
- Pipinus Rex, Karoli Ma-  
gni pater. 269
- Polycarpi Episcopi Smyr-  
nenfis martyrium. 246
- Pontifices & Reges Iudæo-  
rum cur ungebatur. 187
- Populus jubetur obedire  
sacerdotibus. 132. Et ta-  
men populus justus ma-  
gis dignus est æterna vi-  
ta, quàm iniusti sacer-  
dotes. 129
- Populus meritò conqueri-  
tur adversus pastorem,  
ob negligentiam prædi-  
cationis, vel impedi-  
menta exemplorū ma-  
lorum. 298
- Porta regni cœlestis angu-  
sta est. 310
- Portę inferi prævalere non  
possunt adversus Eccle-  
siam. 106
- Possessiones ecclesiasticę.  
282
- Præcepta ex nomine Prin-  
cipis. 64
- Prædicatores, quales esse  
debeant. 142. Qui qua-  
stus vel ambitionis cau-  
sa prædicant, damnan-  
tur. 217
- Prælatus quilibet præci-  
piens contemni non po-  
test sine damno inobe-  
dientiæ. 292
- Prælatus abutens rebus ec-  
clesiasticis ad illicitos  
appetitus, damnationis  
æternæ pœnam incur-  
rit. 299
- Præpositi in Ecclesia cu-  
jusmodi esse debeant, &  
à quibus vitijs abstinere.  
217. & seq.
- Præbyteri vilibus officiis  
mancipati in curiis ma-  
gnatum. 134
- Præbyter domesticus. 134
- Præbyteri proprii, id est,  
domestici. 135
- Proceres Palatij. 98. 192
- Profectus dicitur, si ad  
meliora quis transeat,  
non ad deteriora. 244
- Providentia Dei aliquan-  
do absolvit innocentes,  
& damnat noxios. 115
- Provincia, Galliarum re-  
gio. 268
- Pulvis sparsus in Gallia  
creditus à Beneventa-  
nis, ex quo boves can-  
tunt.

I N D E X.

- tum morentur, non  
cetera animalia. 163  
Pulverem de pedibus ex-  
cutere cur præceptum  
Apostolis. 82
- Romani plusquam annis  
CLXX. deos sine simu-  
lacro coluerunt. 256  
Romani neoterici. 119

S

- Q** Lucilius Balbus  
præclare sensit  
de diis pagano-  
rum. 254
- R** Acha, id est, firma-  
mentum, secun-  
dum Iudæos. 76  
Reges & Pontifices Iudæo-  
rum cur ungebatur. 187  
Reges quoque sunt recto-  
res Ecclesiarum. 65  
Regionalia Concilia res-  
puuntur à quibusdam,  
quòd Legati Romani  
seu Imperatoris non in-  
terfuerint in corū con-  
stitutione. 288  
Regnis & Gentibus neces-  
saria est iudiciorum in-  
tegritas. 117  
Reiculæ. 114  
Religio est cultus Dei.  
224. Dicta à religendo.  
226. vel à religando.  
262  
Res Domino consecratæ  
debent cum magna re-  
verentia custodiri. 276  
Rixæ & contentiones cum-  
mulant copiam flagitio-  
rum. 314  
Roma capta à Gothis. 115
- S** Accata vina. 134  
Sacerdos unus sub ca-  
pite summo. 123  
Sacerdos fieri non potest,  
qui aliquo vitio labo-  
rat. 123. nec qui crimi-  
nosus est. 142. nec is qui  
viduam, repudiatam,  
vel meretricem, & non  
virginem duxerit. 274.  
Sacerdos vita & doctri-  
na irreprehensibilis esse  
debet. 143. Et sacerdoti  
nequam & indocto non  
est obediendum. *Ibidem*.  
Aliàs populus tenetur  
obedire sacerdotibus.  
132. Sacerdotibus solis  
licet ministrare sacra-  
menta. 129. *Et seq.* Pos-  
sunt autem mali sacer-  
dotes rectè administra-  
re bona. 140. Nam bo-  
na ministrando, sibi tan-  
tummodo nocent, nec  
Ecclesiæ mysteria com-  
maculant 142. Sacerdo-  
tes enim etiam mali o-  
perantur virtutes & mi-  
racula. 124.  
Sacerdotes, cum exaudiun-  
tur à Deo, aut prædi-  
cando profunt, non id  
debent tribuere suis me-  
ritis. 126

Z

I N D E X.

- Sacerdotum quatuor genera. 143
- Sacerdotum incertus & instabilis status ævo Agobardi. 282
- Sacerdotum contemptores puniti à Deo. 131
- Sacerdos, si quærat avocationem in rebus secularibus, non est sacerdos ante oculos Dei, sed destructor operis Dei, & adjutor Antichristi. 215  
*& seq.*
- Sacerdos domesticus. 134
- Sacerdotes majoris ordinis. 135
- Sacramenta per Christum operata, nos salvât præterita, patres verò veteris testamenti futura. 189
- Sacramenta divina nec bonorum meritis meliorari, nec malorum perveritate possunt deteriorari. 139
- Sacramenta non possunt administrari à popularibus justis, sed tantum à sacerdotibus. 129.  
*& seq.*
- Sacramentorum liber. 263
- Sacrilegij vocabulum varias habet significaciones. 287
- Sacrilegos vocat Agobardus eos qui sanctas vocant imagines. 244
- Samaritanus cœlestis, id est, Christus. 311
- Sancti Dei multa præstare possunt. 156. Ob hoc exauditi à Deo sunt in suis precibus, quòd abjecta de se senserint, & peccasse se crediderint. 169
- Sancti homines amandi & honorandi sunt, sed caritate, non servitute, 264. Honorandi propter imitationem, non autem adorandi propter religionem. 257
- Sanctorum imagines omni genere conterendæ, & usque ad pulverem sunt eradendæ. 254
- Sanctorum memorias ambitiosè honorare ob captandam gloriam popularem, reprehensibile est. 245
- Sanctitas tribui non potest imaginibus, cum sint res inanimatæ. 244
- Sanguinè humanum fundi prohibet prima lex data hominibus. 320
- Sanguines in plurali numero utrum dici possit. 172.  
*& seq.*
- Sani in Ecclesia custodiendi, infirmi verò sanandi. 219
- Sarraceni. 90. 115
- Saulis modestia commemoratur. 168
- Scripturæ sanctæ laus. 180
- Senior, id est, dominus. 63
- Septimania, regio Galliarum. 268

I N D E X.

- Septuaginta interpretes, magnæ auctoritatis in Ecclesia. 175
- Servos libertate donatos, præsertim Ecclesiæ delegatos, revocare in servitium non licet. 280
- Siccitas aliquando impedit ne agricolæ seminare possint. 159
- Sidon. 89
- Sigismundus Burgundionem Rex ab Arrianismo ad catholicam conversionem operâ Aviti Episcopi Viennensis. 120
- Simulacra deorū qui primi posuere, ideo fecerunt, ut populis metum adimerent, errorēque adderent. 256
- Sol oriens adoratur. 259
- Sortes legere de paginis evangelicis tolerabilius quàm ad dæmonia consulenda concurrere. 258
- Spem nostram ponere non debemus in hominibus, sed in Deo. 264
- Spiritus apud Hebræos est feminini generis. 173
- Spiritus sanctus quid inspiraverit Apostolis, cum donum linguarum eis infudit. 177
- Sponsus unus est, qui habet sponsam. 211. 232
- Sponsus & sponsa, id est, Christus & Ecclesia, quomodo tractandi à pastoribus. 218
- Superstitiosi unde dicti. 255.
- Sylvestri Papæ Gesta. 252
- Symmachus interpres sacre Scripturæ. 75. & seq.
- Synagoga maculosa, rugosa, ac repudiata. 103
- Synagogas novas extruere non licet Iudæis. 64. & seq.
- Synodalia gesta pingebantur olim in Ecclesiis, ad memoriam rei gestæ, & erroris prostrati. 265

T


- Talionis modum supergredi. 308
- Tempestarij, id est, venefici, & sortilegi, qui tempestates immittere creduntur. 145. 147. 149. 152. & seq. 158. & seq. 161
- Templum Dei est quisquis præceptis ejus obtemperat. 319
- Templa Dei sumus, cum boni sumus. 241. 261
- Templum non est construendum in alicujus honorem, præter solius Dei vivi. 238. 259
- Theodoretus Cyrrî Episcopus. 6
- Theodotio interpres sacre Scripturæ. 175
- Thesauri ad quos usus haberi debeant in Ecclesia. 287


I N D E X.


- |                                                                      |                                                                                                                                                   |
|----------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Timorem & honorem debemus Deo. 290                                   | Vindicta fidelium non est in præfenti. 319                                                                                                        |
| Tolerare oportet in vita hominum ea quæ tolli non poffunt. 270       | Virginitas animæ, fides incorrupta. s. integra fides, folida fpec, fincera caritas. 233                                                           |
| Tonitrua & grandines vi hominum fieri, ftultum. 145. & feqq.         | Viſibilia nocent ad inviſibilia capienda. 242                                                                                                     |
| Tractoria ſtipendialis. 61                                           | Vita libidini dedita maxime obſtat veritati percipiendæ. 256                                                                                      |
| Tributa ac vectigalia reddenda Principibus. 290                      | Viventi olus Epifcopus Lugdunenſis. 70                                                                                                            |
| Tyrus. 89                                                            | Vnitas trahit mundum ad fidem. 312                                                                                                                |
| V                                                                    | Voventi, & tardè reddenti, tarditas reputabitur in peccatum. 279. Melius eſt autem non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. <i>Ibid.</i> |
| Valentinianorum hærefes. 68                                          | Vvala, magnæ apud Ludovicum Pium Imp. auctoritatis. 98. 192                                                                                       |
| Vectigalia & tributa reddenda Principibus. 290                       | Vxoris unius vir, quomodo intelligendum, ut ad ſacerdotium promoveri quis poſſit. 274                                                             |
| Veritas quid ſit. 182                                                | Z                                                                                                                                                 |
| Veritas latens non poteſt monſtrari per res contrarias veritati. 301 | Zeli rectitudinem quæ nonnulli putant, cœcum furorem vocat Agobardus. 265                                                                         |
| Veritas iudiciorum & rerum quærèda eſt à Deo. 306                    |                                                                                                                                                   |
| Veritatem Dei qui relinquit, in tenebris maneat neceſſe eſt. 274     |                                                                                                                                                   |
| Veritas amanda eſt, non verba. 4                                     |                                                                                                                                                   |
| Veritati percipiendæ maxime obſtat vita libidini dedita. 256         |                                                                                                                                                   |
| Vigilantiſſi ſchiſma. 235                                            |                                                                                                                                                   |
| Vina ſaccata. 134                                                    |                                                                                                                                                   |


FINIS INDICIS.


est  
319  
in-  
fi-  
era  
233  
ifi-  
42  
xi-  
er-  
56  
ous  
70  
ad  
12  
n-  
ur  
e-  
o-  
m  
c.  
o-  
12  
o-  
ad  
ii  
4  
i  
t  
s

















AGOBARDI  
TOM. I.

328

B.I.

22